

EXAMEN
SARMATICUM

feu

UNANIME SUFFRA
GIUM

quod

Periculosâ Interregni tempestate,
celebrandum

REGNI PRIMATI, SENATUI, PROCE
RIBUS, AC TERRESTRIBUS
NUNCIIS

datur

â

Passionum & scœnoris immuni

sed

Immunitatis, Salutisve Patriæ
amante

FLORIANO de GURRY GURSKY

EXVII 44



Vo in mundi angulo inclyta que-
 renda Polonia? Cuinam usque eo lyn-
 cei sunt oculi, ut cernere valeat in Polo-
 nia Poloniam? O sine Poloniâ Polonia.
 Tuam ubi reliquisti Poloniam? Quæ
 Circa Te deturpavit metamorphosis,
 ut tam luridam induere non dubitaveris
 faciem? Laceratæ quidem quondam
 Tuz apparuere genæ, demptumq; quod
 tantam Majestatem spirabat, superciliû,
 cùm Te luctuosissimo sidere percurre-
 rent domestica arma, & cùm quotquot seditio-
 num licentiam ama-
 bant, in ipsum tam Clementem, tam benignum signa attollerent
 Regem. Nihil tunc furori relinquebatur. Calcabantur Deorum aræ,
 evertabantur templa, incendiis foedabantur oppida, & civili san-
 guine suam furiis chymæricam consecrabit libertatem licentia.
 Post tot annos adhuc veluti truncas urbes excisis Numinum tholis
 aspicias, in quibus sævitum. In illis tumultibus à cæteris recessum
 Polonis, ut tanquam aliam patriam, aliumque facerent populum.
 Ast nunquam tam tristem passa sortem Polonia. En! sine Majestate
 solium. Sine syncipite Coronam; purpuram sine dorso. Sine lacer-
 tis sceptrum. Regnum sine Rege. Sine Pastore gregem. Sine Duce
 populum. Fasces jacent, diadema squaler, artus rigent, mutila cun-
 cta. En! sine capite membra, sine animâ corpus. O atrociam Poloniæ
 fata! Ferrentibus cum suspiriis, querulâ voce conditis exclaman-
 dum: Cælum, O in quæ nos servasti tempora Polonos! Jacturam,
 supra quam dici potest, sentimus magnam. Calamitate deserti, de-

4
ferri in deserto reddimur , ut gemibunda lingua nil nisi suum Regem, suumque Patrem loqui diligit. Amisimus plus, quam amitti potuit. Abest bonitas, omni bonitate major. Abest decor, omni decore, illustrior. Abest clementia, omniclementiâ, superior. Perditum imus bonum, quo nullum melius à Coeli bonitate peti potest. Jucundiori si metamorphosi toti mentes, toti linguæ fieremus, nunquam concipere, nedum eloqui possemus naufragium, quo Reip, nostræ affligitur navis. Mali magnitudo nos reddit elingues, ita ut gemitus; suspiria, ac lacrymæ linguæ obire teneantur officium.

Virg. 4. Æn.

Lamentis, gemituq; & fœmineo ululatu

Tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther.

Verum enim vero vecordi planctu, Regi tranquillitatem, cui unice inhiat, invidere, depositionemve hanc magnanimè improbare videmur. Haud meruit paternâ, quâ strenuè obiit, curâ invidiam, multò minus sinistrū aliquod judiciū. Polonicus genius abominari debet præposterū tale judiciū, quod Augusti quondam concomitabatur urnâ. Ringentur illi, qui præter errores nihil vident, quia nihil nisi errores sectantur. Allatrent Solem, quia ferit oculos, non agnoscentes imperfectionē esse horum, non illius. Nauci pendendi, qui famam prensant quando infamant, & laudem quando vituperant. Radorum Solis instar noster Rex, qui in latrinam missi non conspurcantur: sic hic impuris & infamibus in oris versans non inquinatur. Splendidior est quam ut sordium quicquam ei affricari possit. Perfectior est, quam ut quicquam labis immundâ ex lingua in eum redundare queat. Soli non dat nubeculam Luna. Intentio Regis adeò gloriosa, ut præter æternam gloriam nil fœtare polleat. Non perdendi sceptri metus, ejus ad depositionem, Te adegit, quod firmius tuis in manibus, quam quondam Herculis clava, & cui extorquendo nulla vis existere par potuit. Domati rebelles, sedati perduelles, victi hostes. Pax alma, quies superba, concordia concors, amor sincerus, fiducia fida, nec ulla odii scintilla, quæ in incendium erumpere posset; omnia pacata videntur, & in desiderata malacia cuilibet ad portum properare licet. Calumniandi cæstro nonnulli perciti, Casimiriana secula infausta nomi-

nare

nare non verentur, & exinde infelicitatis ulterioris pertæsum, Regiminis abdicationem esse meditatam autumant : Ast passionum exortes sanique iudicii compotes, iustria Casimiriana omni felicitate beatiore appellare non dubitabunt. Quandiu Sarmatia Sarmatia, trucibus tot ac immanibus hostibus nunquam fuit afflicta; nihilominus omnes victoribus Casimiri manibus expulsi, explosi. Quot hostes, tot victorias; quot prælia tot triumphos adeptus est Casimirus. Quis ergo non felicissimum, fortunatissimum, invictissimum atque quaterque gloriosum ac augustissimum salutarerit Casimirum ?

*Pugnavit quoties, toties & vicit; nec ullus
 Quàm noster, Regum, prælia tanta sciet.
 I, modò Pompeij numeram mihi Roma, triumphos,
 Nos Casimiri prælia: Major uter?
 Pompeium Cæsar bello prostravit aperto:
 Vincere non fatum; fraus minus huncce potest.*

Quid itaq; Te plus, quàm faustum ad talis boni fastidium impulit ? Quæ Te invasit ambitio, ut Regio caractere exutus, privatorum albo dares nomen ? Legitimo modo, necullo discordi suffragio electum, Regia semper mansit reverentia, nec ullius mens tam improba fuit, quæ cogitationem exurgere pateretur de Tui depositione. Non enim temerario Phaetontis nisu, ad gloriæ sidera ruisti, inglorium ut in barathrum præceps dareris. Non luridâ Tarquinij Superbi afflictus sorte, truculentam ob tyrannidem, impurumve obreatum, Sceptrum tuis Tibi ex manibus tortum gemis. Non Leiconis primi, sceleratam per vafritiem ad Sarmatiæ solium tendentis tristia Te manent fata. Non Syracusani Dionysij, imbellis, & saltem pueris non viris imperare potens animus, fascium Tibi peperit abominationem : Nec latrocimij immanitas, Boleslao ab Audace, trucidando in Divo Stanislao Episcopo Cracoviensi, atrocissimè patrata, abominandas Tibi reddit Regni habenas. Hic enim iusto conscientiae aculeo punctus, seposito diademate, cum filio ignotas in oras se contulit, de cuius infami ausu non infamam ecce venam,

Grot. de jure B.P. L. 4.9.

Quàm bello magnus, quàm magnis strenuus ausis.

Boleslaus erat, tam truculentus erat.

Cuncta libidinibus complebat, cuncta rapinis,

Cuncta ignominis, sanguine, cuncta metu.

Pontificem secuit frustratim recta monentem :

Vrbis Pontificem, maximè Crace, tue.

O scelus, ô portentum, ô nostri infamia regni!

Non Tibi sacriligæ tunc cecidère manus?

Vnde, & ubi perijt, ne jam dubitate Poloni,

Raptum sub stygijs obruit orcus aquis.

Sed mente piâ, Coronæ caduca, mundi que inania, spernente, perpetuò duraturam ambis Coronam. Mutabilem nauseas purpuram, immutabili ut potiaris. Throni jubar aspernaris, Cœlesti ut corruscare queas diademate. Sceptrum seponis, ut eo liberiores manus ad eum, qui sceptrum de Juda semovit, extendere possis. Mundo monstras Divinum Tuum pectus humanam transcendere sortem, nec â Titanis dextra ex vulgari formatum glebâ. Animus Tuus, Noæ columbam, impetuosas inter undas, nidulari haud amantem, imitari satagit. Regiminis inter procellas, a caulæ turbines, mens non mundo immundo nata, tranquillam nescit reperire sedem, & Coronâ onustum caput, immortalia meditari nequit. Non simulatâ intentione ac â Galba, Imperium: *Magna Bellua* abs Te nuncupari potest. Hic quippe persuasum sibi habebat, omnes modos, cunctaque artificia, etiam injusta, dummodo conservando imperio apta, esse bona; imò optima, dummodo licita. Noverat optimè Principum verba nunquam esse sterilia, sed ingentem facientia impressionem in adstantium animis, dum raro cadunt in terram; Imò plus ponderis sagacitate salitos habere discussus, quàm potentiam rebatur. Et revera Principis est veritatem custodire in cordis penetralibus, non linguâ eam prophanare; magni enim momenti res, nisi secretæ, nunquam securæ, quoniam imperium, cui tot sunt invidi, quot spectatores, & tot inimici, quot subditi, nullum debet habere vicinum, nam non rarò traditores non distinguuntur â familiaribus, & servorum turma porrigit arma hostium manibus. Nominando Imperium, magnam belluam; aversionem ejus ad-

stan-

stantium animis infundere gestiebat, sibiq; securitatem creare, ap-
 primè gnarus, illud per se nec infantibus horrorem injicere posse.
 Verè, inquam, Imperium, magna Tibi fuit bellua, virium robur de-
 bilitans, membrorū compagem dearticulans, spirituum penus ex-
 hauriens, omnemque depascens medullam. Mortalium nullus sui
 pro conservatione, tantum, quantum, Tu, Patriæ Pater, pro Patriæ
 incolumitate, exanthlasti laboris, sustinuisti calamitatis. Defun-
 ctus es magno, multiplici, & supra quàm dici potest, exitiabili bello,
 quod non Civile tantum, seu sociale nominaveris, neque externum
 etiam, sed quoddam commune, ex nullis non belli sexibus confla-
 tum, & plus quàm bellū. Quo non Polonia in Europa magis, quàm
 in Polonia Europa dimicavit, incertum pro ea, an contra eam. Ast
 fata forsitan voluère, ut validissima, fortissimaque orbis terrarum
 pars, unum in bellum, suas ad explorandas vires, concurreret, fera-
 liquè suæ scenæ nullum aliud statueret theatrum, quàm quod *Invi-
 ctissimo cum suo Casimiro*, bellicosissima Sarmatiæ daret natio. Cun-
 cta siquidem hoc progressu, auspiciis, & exitu gesta bella, ut tantò
 magis bella & illustrior maneat modò gloria, quantò sors in lu-
 ctuoso illo rerum statu fuerit acerbior ac tristior, ita ut sera poste-
 ritas admirari non sit dubitatura, invictum Sarmatiæ populum, &
 adorare ceu Numen, Nomen Casimiri, sub quo non solum tuta,
 sed & tot hostium victrix exstiterit Sarmatia. Additamenti, Casi-
 mirianæ gloriæ, dari potest nihil; novam idcirco & extraordina-
 riam, in Regni renunciatione aucupari ambit. Non reperitur ma-
 jor famæ seges, quam in Imperij magnanimo contemptu. Quò ra-
 rius hoc famæ aucupium, tantò illustrius. Hominum post memo-
 riam, nullum seculum magis admirandum, stupendumque exsti-
 tit, quàm in quo, immortalis, ex Divorum lumbis cretus, & ultra feli-
 citatem felix ille Quintus Carolus, pro purpura elegit abollam. In
 quo Divina illa Christina, neglectâ, quâ semper sequior sexus præ-
 gnans, ambitione, deposuit Sceptrum, ad cujus nutum omnis ferè
 movebatur Europa. Et in quo magnanimus Sarmatiæ Heros, vi-
 ctoriosus, nec unquam victus ille Casimirus, non in ecclipsi, sed in
 ridente fortunæ serenitate, Regiam nauseavit Majestatem, suumve
 alii cessit diadema. Nec hoc mollis ob otij amorem, odiumque
 oneris

oneris, quod Imperantium bajulant humeri: Sed magnanimitate Pulsus, quâ plus, quàm Mortalium ullus dotatus, & ut universo testimonium daret orbi, animum suum omni fortuna esse superiorem. Respuit Majestatem, suo ut in pectore ei concedat orchestram. Eminentem abominatur dignitatem, quo summa in perfectione eam generosa in mente retineat. En! virtutem, quæ non fortunæ, sed cui fortuna ancillari tenetur. In exilium hîc relegatur axioma: Virtutem suam adipisci vigorem, essentiamque à fortunæ favore. Pefundatâ fortunâ viget Virtus, quæ in Casimiro omnibus numeris absolutissima videretur, & quæ nunquam minimum quid à Fortuna emendicavit. O beatissima Casimiri virtus! quæ sine fortuna perfecta. O perfectissima Casimiri generositas! quæ omni fortuna major ac illustrior. Magnanimâ perseverantiâ propositi tenax manes, quod constanti & probè pensitanti iniisti anima. Nec preces, nec lacrymæ, nec quod nobis imminet detrimentum, Te flectere valet. Sed anima aulæ ex tricis se extricare, suoque Creatori se totam immolare satagens, fasces deponere, inque hæc verba erumpere mandat.

Quousq; tandem sum passurus fluctuare magno curarum æstumentē meam? Quousq; sum moraturus animâ suo litare principio? Hunc meum, quicquid Universum colit, mirabitur ausum, Cachinabitur Ambitio, quod lusq; deq; ferre, imò serio aspernari non erubescam, cui cum juris ac æqui violatione, omnis infidiatur mundus. Ingratitudinis me est accusatura Patria; quod bonum, quo nullum in orbe melius; quod honorem, quo nullus illustrior, quod majestatem, qua securior nulla, quod Patriam, qua charius nihil, privata vitæ, & duræ postponere non dubitem eremo. Arguar, a Me, tantū, minus cognitum fuisse, bonum, aut ingenium eo frui abfuisse. Ast, sicuti devotæ, supremo Numini semper exsolutæ grates, Me ad tale Dignitatis fastigium evectum: ita majores habere teneor, quod Divino stimulo tactus, ad beatiorē, tutioremve vitæ pellar rationem. Sonticæ, plus, quàm mille, purpuræ suadent, fastigijque fastidium, causæ, quas perstringere supervacuum. Binas dixisse sufficit: Deum ac conscientiam. Imminet vero momenti punctum, Patres Conscripti, ut huic, Vitâ meâ chariori Patriæ, paternum tester

Oratio Re-
is abdica-
oria.

ster amorem, infallibilem obligationis dem tesseram, decensque exhibeam officium. Depono Vestras fidas in manus, illud Diadema, quo, per quadringentos, & quod excurrit, annos, Jagellonica stirpi, nihil fuit sanctius, nihil divinius. Habita semper pupillæ instar hæcce Corona, quæ nunquam tyrannidis adamante, sed amœno amoris ac fidei smaragdo corruscavit. Majestati hæc unica fuit cura, ut libertas salva, incolumis & illibata servaretur, quæ verè Virgo sistitur. Reddo, inquam, Ego Rex & Pater, mihi concreditum Sceptrum, quod per senium, tremulæ manus diutius moderari nesciunt. Prostrata fere jacet vis vitalis, quæ, viginti per annos publico bono sacrificatos, decumanis laboribus debilitata, in somnibus tot Comitiorum curis depasta, tot trucibus belli expeditionibus exhausta, & innumerâ edacium ærumnarum consumpta multitudinem, ita ut animam in procinctu beatas ad Sedes emigrandi sentiam. Et quoniam Morti vicinus, mundo tamen mortuus, adhuc vivere videor: electum eo pro solio, solum; pro dignitatum cumulo, tumulum, proque ambitionis zelo, Cælum. Retineo duntaxat ex tot facultatum myrmecis, tantoque Regni ambitu, exiguam præter glebam nihil, in qua animæ meæ domicilium humatum, inque Avorum meorum monumentum illatum cupio. Etiam si anima exteros apud lares suas deponeret exuvias, ossa tamen in Patria terra, ceu in dilectissimæ Matris gremio recubare gestiunt, non sine Cippi erectione, qui futuro mundo repræsentabit, me, primo in prælio fugientem, in cæteris vero muri instar stantem, Leonisque dimicantem, animo Codri & Deciorum, qui se pro Patriæ incolumitate devovere non timebant. Annales Vestræ loquantur, Me, cupidine prosperitatis Sarmatiæ, patrioque erga Patriam affectu, sprevisse illud, cui Mortalium pectora unice inhiare consuevère. Gratia Vestra, Patres Conscripti, liberrima per suffragia, Regiâ beavit Majestate, adque hoc dignitatis culmen evexit illum, quem modo, utroque sexu ultimum hæredem, amor Vobis debitus tanto privat throno. Avi olim mei, regiminis lupatum & habenas dirigere nauseantes, Coronam aut Liberis, aut Fratribus aut Consanguineis imposuere. Ego vero inæstimabile illud pignus nulli cedo, nisi Reip., dulcissimæ meæ Matri, cujus Pater & simul Filius æquissimo jure sum nunc cu-

pandus. Quippe mero ex amore suavissima erga hæc ubera, red-
 dor ex Principe privatus, ex Domino subditus, & ex Re-
 ge concivis, quo alii abundantiori virium robore instructo, plus-
 que, publico bono, emolumentum creare pollenti locum relin-
 quam. Perennibus sum sollicitaturus suspiriis æternum Nu-
 men, ut mentes ita dirigere dignetur, quo relegate omni fœnoris
 cupidine, expulsoque passionum cœcarum spiritu, in eum inclinent,
 ex quo aurea salus in Remp. redundare, & qui pristina secula revo-
 care, ac Poloniam in Poloniam portare queat. O Dominantium
 Domine beare ne aggravaveris Sarmaticam gentem non Neroni-
 bus, sed Trajanis, Calimiris, Sigismundis, Uladislais, non Popelisis
 & Ludovicis. Restare nihil videtur, nisi ut immortales Vobis, P. C.
 habeam gratias, pro amore, favore, & servitorum promptitudine.
 Reverentiæ candor, obedientiæ exactitudo, consiliorum dexterita-
 tas, tutricesve manus non verbis, nedum refarciri possunt. Rubore
 perfunditis nullas non nationes, quæ metu duntaxat, Vos verò a-
 more, cui parum metus tantum aspersum, paretis. Securius, tutiusq;
 in vili rusticorum casâ, nullo satellitio stipatus, quàm alius Rex, in-
 genti cataphractariorum turmâ cinctus, magnifico suo in conclavi,
 quiescere potui. Gloriaripotui, Me, in Principes, dominium ha-
 buisse, nulli enim Principum, generositate, & ingenuitate, Nobilis
 cedit Polonus. Ex oculis Vestris lego, supervacaneum esse, Veniam
 petere, quod cuilibet Vestrum ad nutum sæpe numero gratificari
 non potuerim, ipsi enim nobis temporis malignitatem, conditionis
 vicissitudines, adversamque fortunam, omnibus in universum ser-
 viendi ac benefaciendi, mihi imposuisse pessulum. Quorum proter-
 via meam læserit clementiam, iis ignosco, omnemque ex corde de-
 leo rancorem. Ignoscite, ignosco. Remitto, remittite. Tandem om-
 nigenam Vobis apprecor salutem, feliciave omnis conatûs auspi-
 cia. Memoriam Vestrum ita meæ consecro memoriæ, ut vix lethi vis
 eam obliterare debeat: Nulla locorum intercapedo, nullaque
 temporum injuria Vestri intercludet recordationem. Absens sem-
 per præsens sum futurus. Nunquã morituram, meo in pectore, sum
 gesturus ideam Patriæ meæ. Arctissimo & extraordinario nexu
 Matri huic meæ sum alligatus, illa quippe me filium & simul Pa-
 trem dicere amat. Plura vellem, nisi lacrymarum imber, singultuumq;

nimbus linguæ obderet obicem. Inter preces atque vota lacrymis manans, muta & simul facunda fit facundia, quæ in æstuantis amoris atque affectûs ebullitione anhelò cum impetu hoc protrudit Votum. O Sarmatiæ Resp., dulcissima Mater! Vale, Vive, Vige, Vire!

Obstupescerat totum adstantium examen. Lacrymarum torris madèbat humum. Singultuum strepitus, cum suspiriorum sibilo, discordem faciebat harmoniam, Lumina affigebantur terræ. Corpora sine motu cautes imitabantur, & putasles omnium spiritus reliquisse artus, nisi inconditum horridumque murmur vitæ superstitis dedisset signum. Tandem altum post silentium, lethargo quasi discusso, Regni Præsul hunc in modum fari ordiebatur.

Ut à mœrore, qui absolutum in me exercet dominium, non éloquens, sed loquens duntaxat reddar, opto, quo incompto sermone Tibi, Serenissime Rex, respondere valeam. Eloqui & loqui cum non possim, balbutire sum ausur⁹, & quidè humillimis Te adoraturus precibus, ut maturo iudicio in vitam mutare sententiam, ne aggraveris. Cur nos orphanos es factururus Pater? Cur gregem Tuum palantem ad uncis que rapacium unguibus proximum, deferere gestis? O Pastorum fidelissime! Nonne Te movet solium suo decore viduatum? En! purpura pallorem induit, & diadema sine ornatu luget, squalet. Inclementiori sorte nunquam afflicta fuit Polonia. Nonne Te miseret filiorû, Pater? Non, stat sententia rata. Filiorum non est refragari Patri, cujus voluntas habenda pro lege. Et piaculû est actionû poscere rationem. Prægnantes, Te, dubio procul, ad huiusmodi consiliû, pellunt causæ, quibus humili cum devotione acquiescendû. Refractariò si Tibi resisteremus, nostrâ Tuæ præponeremus saluti, & ingratitude nos conspurcaremus maculâ, quod Tibi, post tot, tantaq; devorata negotia otium, quod ambis, & quod imbecillis avertat, suffuraremur. Nostra ex Tua pendet voluntas. Cuncta tua facta benè facta. tibi, ceu alteri Jasoni, aurei Velleris obtinendi, incumbit cura. Divina Tuæ auræ particula, suo Toti, adhuc Te spirâte, intimius inferi gaudet. Anima Tua vera est Ariadnes, que Te Theseum suum ex vanitatum ac caducorum labyrintho ducere allaborat. Ad immortalia cum natus, immortalia sectaris. Divinum ad tale opus, otio opus. Satis, laboribus improbis, pallidis que ætumnis litatum, virium, spirituumq;. Grarias, quas animo concipi-

Respon
Archiepi-
scopi, nu
Regni Pr
maris.

pere possumus, maximas, Tibi agimus, pro paterna, quam pro nostrâ incolumitate gessisti curâ. Plus quàm Pater nos amasti, tenerius fovisti, ferventius juvisti, promptius defendisti. Halcyonia nulla Tuis duris dedisti sollicitudinibus: Non pepercisti sanguini, nedum facultatibus. Mortem, pro morte calamitarum nostrarum obire, Tibi fuit volupe. Nostrum quilibet, mille si haberet vitas, pro Tua perdere non dubitabit. Lugemus, quod, præter Nos, nostraque, nihil Tibi dare queamus. Sed Nos jam Tui, Nostraque Tua. Toti si nos totos Tibi damus, nihil damus, damus namque Tibi tuum. Obligabimur in æternum si antea datur signum tantum grati exhibendi animi. Jube, auscultabitur. Posce, habebis. Nuta, fiet. Momentanea cum contemptui habes, immortalem Tibi replevimus memoriam. Annaliû monumenta, pia Tua relatura sunt facta, & ita immortalitatis inscriberis catalogo. Sera leget posteritas Te Patrem fuisse Patriæ, ornamentum seculi, fulmen hostium, Alciden rebellium, perduellium Romulum, & Regni Augustum. Solida dedisti fundamenta Religioni, stabilivisti Coronam. Per Te suum in splendorem ducta virtus. Per Te revivixit fortitudo. Per Te victa fortuna. Adcantabunt Musæ Te plures numerasse Victorias, quam pugnas, pluresve glorias & lauros, quam dies. Eò insudasti ut nuncupareris omnium Principum seculi Tui, generosissimus, virtuosissimus, piissimus, gloriosissimus & maximè magnanimus. In cordibus nostris Tibi sumus erecturi statuas, & non tantum ossa Tua, quæ nobis sancta futura semper, Avorû monumentis inferenda curabimus, sed & cineres, si possibile & nisi sacrilegium committitur, eo in honore habebuntur, quo Mausolei habiti sua ab Artemisia. O utinam nos Pythagoræ non fallerent dogmata, animamque Tuam in futurum Sarmatiæ Principem migraret, ejusque in corpore hospitari amaret. Si ceu Eliseus suo ab Elia aliquid petere valeret, non duplicem sed simplicem duntaxat efflagitaret spiritum. Ast vanum Votum. Exclamare forsitan solummodo licebit: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & equites ejus! Vos Jagellonici Manes, æternas meremini grates, quod quatuor ferè per secula, firmissima nostræ Reip. fueritis firmamenta. Sarmatia suâ Vobis debet Sarmatiam, Sarmatiæ namque à Vobis data Sarmatia. Sinobis, ceu Orpheo quondam ad inferos tendere esset integrum.

maiores industriam collocarem Vobis in educendis, quam ille sua in Euridice: Sed beatas inter sedes Vos turbare superfedemus, cordicitus Vobis æternam precaturi tranquillitatem, quam nec auris audivit, nec oculus vidit, nec ullius comprehendit cerebrū. Tibi, Serenissime Rex, reponimus, quod nostra pro incolumitate, dare voluisti Votum, concordi voce acclamaturi, ut Cœli benignitas secundet conatum, felicitet consilia, omne prosperet cœptum, & usq; eo prolonget vitæ terminum, donec vitæ satur, anhelum cum desiderio exclamare non dubitas: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Remissionem culpæ, quam nobis clementer indulges, agnoscimus ceu paterni amoris argumentum. Venia à nobis non est petenda. Nunquam in Nos delictum. Perfectior es quàm ut peccare possis. Si multis & fere omnibus benefacere, ac justitiæ rigorem cum clementiæ malagmate temperare, est peccare, peccasti, sed hoc peccatum sanctum, piūque errorem, baptizatum volumus. Denique ultimas has exaudire preces ne dedigneris, ut nos eadem, quæ solitus clementiæ ac benignitatis aurâ aspirate velis. Tuâ gratiâ ut vivimus, ita vivimus, & vivemus. Privilegium nobis concedas, Tui ut maneamus filii, tui ut simus servi, Tua ut moriamur mancipia. Tu non nobis Pater, sed plusquam Pater; Non Rex sed plusquam Rex, non Dominus, sed plusquam Dominus es, eris & manebis. Planctus & gemitus quia loquuntur, lingua loqui cessat. Loquere tamen, donec, Sis Serenissime Felix! Dixi.

Ut sagax, à Vacuo abhorret, natura; ita folia in præcipiti, suæq; conservationi parum proficuo sunt statu, longa si per intervalla, manent vacua. Hoc sagaciter perpendentes Sarmati, exiguum, eligendi Regis, præfixerunt tempus. Homo breve per temp⁹ in exstasi raptus suâ quasi privatur animâ: Regnū, nisi animâ orbari, profususve perire gestit, confestim ad se redire, animamque suam in sedem collocare debet. Quid fructuum longa causaverint interregna, loquantur & Romano-Germanorum & Sarmatarum annales. Paroxysmus namque Regni fere lethalis est interregnum, & nisi huic pernici auxilio succurratur, omne corpus inficiet, inque infectum ad interneccionem usq; est grassaturus. Sed non paucos mussitantes audio, satius esse Remp. formare, quam Regnum, quod servitutis

*Interregnum
periculosum*

Nulla Resip
orma arri
lere potest
Polonis.

speciem præ se fert, roborare. Ad nullam autem, quæ hodiè inter Europæos est, Regnum erit reducendū Sarmatorum. Naturæ interest diversitatē hocce in mundo, non solummodo fundare, sed & fovere. Idem omni si in loco reperiretur, non idem sed nihil foret. Horizon Horizonti, Clima Clima contrariatur. Idem Sol non omnibus idem, & quidem ea de causa ne populus populo, ne gens genti, ne nationi natio sit conformis. Geniorum discrepantia manifesta peregrinantibus, qui brevem inter distantiam distantia experiuntur ingenia. Legum & Rerump. forma à forma diversæ proficiuntur indolis. Homines non legibus, sed leges hominibus aptandæ. Haud prægnanti sine causa Alpes, horridosve, Caucasus instar, montes, immensumque Oceanum natura inseruit terræ. Voluit temperamentorum dissonantiam; Cupivit nationum contrarietatem. Poposcit inclinationes, quæ legum mater, diversas. Nunquam factus Medus Persa. Gallus citius pavo, quàm Gallus fieret Hispanus. Quot creaturæ, tot identitates. Quot diversæ Resp., tot diversæ leges. Idē hic nō idem. Sarmata nō Sarmata esset, peregrinas si amaret leges. Sibi soli, nec ulli alii vult esse similis. Omnē perderet gloriā, si non vivā suā formā sed alterius formæ characterē vel ideam representaret. Sibi uni est regula, nec ad alium vult mensurari canonem.

Non Bata-
vorum, non
Helvetorū.

Non ad Batavorum, nec ad Helvetorum normam, binæ quæ Republicæ, hodierno ævo, quàm maximè florere, suæque libertatis, strenuo cruore acquisitæ, mirum in modum tenaces esse videntur. Merito jure duo Germaniæ brachia nuncupari merentur, dextrum Helvetia, sinistrum Batavia. Hæc Oceano paludibusque, illa alpihus, fortiq; gente munita: Batavia vasto in oceano, Helvetia horrendas inter cautes dominatur. Natura summum collocavit studium duabus hisce in creandis terris. Nihil conformius Batavorum naturæ, Oceano; Nihil aptius Helvetorum genio, Alpihus, ita ut verissimè pronounciari possit: Helvetos propter alpes, & alpes propter Helvetos; etiam Batavos ob Oceanum, & Oceanum ob Batavos naturam condidisse. Summum Hollandorū bonū concatenato consistit in bello; Marte quippe ad tale potentia culmen, divitiarumque immensum pervenere cumulum. Helvetis vero Janus cordi est, qui eis, quas habent facultates, tranquillitatemque

quâ fruuntur, est largitus. Batavorum Resp. non tam consilij prudentiâ gubernandiq; conservatur dexteritate, quàm fatali quodam arbitrio, & extraordinaria Cœli dispositione, quæ infinitas ditescendi aperuit vias. Interna nunquam tam diu concors mansisset concordia, nisi fomes ejus præsto *Lucrum*. Hoc enim glutine discordes coalescunt animi, ut rebellionis materia etiam præsentē, tanquam visco capiantur. Rigidæ contributiones, duræque exactiones, quæ rabidas reddere mentes solent, Hollandorum cicurant animos, ut dulci fœnoris, non tantum spe, sed & usu inescati, liberalissima, quæcunq; efflagitantur, publicum ad thesaurum, porrigant manu. Genius loci, incolarumque non concedit, ulla ut alia terra seu provincia suam formam & normam ab hacce emendicet. Ut accipitrum plumæ, nulli alii avi, accipitre excepto, & ut Vulpis pilus, quadrupedum, Vulpem præter, nulli aptus: Ita Batavorū Resp. sibi soli, & nulli alii conveniens, ac proficua. Helvetorum vero Resp. habet formam sine forma, & optimus ejus canon est confusio. Divitiæ, quæ improba ex agricultura manant, vix ventris latratui compescendo sufficiunt. Arcanum regiminis ipsis nullum, nisi arcana Cœli vis, quæ incolumem eorum fatagit servare libertatem. Angusti, à natura dati introitus, commodi rivi, suis cum rupibus, Helvetorum sunt excubiæ. Boterus quidem ait, centies & vicies mille milites terræ ad defensionem cogi posse; ast silet sustentationis medium & modum. Proventus seu reditus eorum vix decem militum millibus sustentandis sunt capaces, & quidem tres duntaxat per menses. Securitate quia inertes, superbiâ tumidi, molli sagina infarcti, vecordi demulciti otio, & ambitione discordes, exigua manu ad Imperii catalogum, à quo turpiter descivere, redigi possent. Magna hic plebis autoritas, surgunt namq; frequenter vulgi quisquilæ, quæ Nobilium fœdant suffragia, summū Reip. emolumentum respicientia. Nobilitati nulla nobilitas, & qui hodiè *Sutor*, eras *Excellentia Vestra*, vocatur. Vix melior fors Belgium manet, quod in eo libertatis momentum esse situm putat, quia amurcæ plebis tanta est ogganniendi protervia, quanta, ex nobilissima pro sapia fato, rationandi libertas. Exsequiæ nostræ essent adornanda Sarmatiæ, si eò stoliditatis novitate veheretur, ut vel Belgarum

vel Helvetorum induere amaret faciem. Generosus, Nobilium Polonorum genius, nunquam potestatis quicquam sordidum in plebem derivari est passurus. A pygmæis non vult gubernari gigas, nec a lepore Leo. Vulcano nunquam suum concessit Jupiter Olympum. Sectando, sic perderetur libertas. Personarum æqualitas, servitutis signum. Naturæ inverteretur ordo, & imum summum fieret, obryzumque plumbum. Vestigialium, contributionum & exactio- num onere onerarentur Nobilium humeri, quos naturæ benignitas exemptos fecit. Dehiscere mallet Sarmatiæ Nobilis, quàm minimam plebeio exhibere reverentiam. Pacis studiosi tales essent. Quid ergo exercitii haberet Nobilis, qui gloriam, tractandis in armis, aucupatur. Helveti sunt quidem milites, sed pedites, nostrorum mancipiorum more. Belgæ, qui quondam sat strenui milites, ita sunt effœminati redditi, ut arma ipsis fordeant: Lucrum, quod ex mercatura, venit, armorum inducit odium, ita ut Batavi nequidem sint Batavi, nupero teste Monasteriensi bello. Pudeat itaque Polonum, suam vel ad Helvetorum vel Belgarum formare Remp. regulam. Hoc non citius fiet, quàm Sarmatia evadat in Belgium vel Helvetiam, & Sarmata fiat vel Batavus vel Helvetus.

Prægnantium rationum inter farraginem, ob quas Venetæ Reip. faciem nostra induere nequit Sarmatia, per paucas tantum tangere licebit. Prisca ac sancta Venetorum lex, Sacerdotes à regiminis pellit remigio, thura non jura ijs duntaxat concedens, autumanq; Crucifixum, & summam potestatem; Militem & Sacerdotem: imperatorem & Pastorem: Corporalia & spiritualia: arma & sacra: Principem & ministrum: Dominum & servum, nullam generare harmoniam; nec ulla ratione convenire posse, sed potius misceri non miscenda, & utrumque simul habere volentes, per-
 “ dere utrumq;. Consuetudini huic gravissimum, gravissimi Thua-
 “ ni, de Pio Quinto Pontifice, ad stipulari videtur judicium, quod
 “ hæcce fari verba jussit: Sic judicabant optimi quique, si quidem
 “ Pontificia dignitas, pastoralis officio solo contineretur, in Pio Quin-
 “ to nihil fere desiderari potuisse: Sed quando ei dignitati annexa
 “ esset principalis potestas, plerasq; virtutes, quæ Principem decent,
 “ & ad publicam administrationem necessariæ, non nisi longo rerum
 usu

Non Venetorum.

L. 39.

usu parantur & excoluntur, præterea requiri, quæ ille in umbra & inter monachorum greges educatus non haberet. Nam aliter in Cœnobiis, aliter in aulis degi, & rursus aliud esse, monachis imperare, aliud regnare. Sarmatiæ vero huic legi prorsus contrarius ritus, ab antiquissima forsitan Roma captus, qui maximopere viguit Cicerone teste, in oratione pro Domo sua, ad Pontifices, Capite primo: Præclarè à Majoribus nostris institutum est, quod Vos eisdem & religionibus Deorum immortalium, & summæ Reip. præesse voluerunt: Ut amplissimi & clarissimi Cives Remp. benegerendo, religiosissimi religiones sapienter interpretando Remp. conservarent. Apud Cappadoces Bellonæ sacerdos, imperio & potentia secundus à Rege, consensu gentis illius habebatur. Et Ægyptii cum Græcis, si Platoni in Politico fides, abominabantur sine sacerdotio Regem. Ne autem Ethnicos solummodo pro Sarmatarum lege militare opineris, En Jehovæ sacrosanctam institutionem, quæ Melchisedechum & Regem & Sacerdotem, æque ac Mosen, Samuelem & Esdram voluit. Et ne mysticam hanc interpreteris voluntatem, consulas velim, præter acutum Tacitum floridum Justinum de Judæorum Rep. sic scribentem: Mos apud Judæos fuit, ut eisdem & Reges, & Sacerdotes haberent: quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coalu- ère. Nec Polonia ad regiminis gubernacula suos vocat Præsules, quorum ætas in monasteriorum impurorum hispidis ergastulis, incomproque scholarum pulvere detrita: sed quos, cum multi jugi variarum disciplinarum suppellectile, rerum gerendarum usus ita exeruit, non spretâ militaris scientiæ experientiâ, ut non minus summi Præsules, quam magni Senatores, strenuive milites appellari mereantur. Nicephori Gregoræ, de Arsenio Patriarcha, Viro maxime quidem pio, ast religionem & Remp. una tueri impotenti, loquentis, monitum perenni in memoria gerunt Senatorium ad ordinem aspirantes Sarmatici Clerici, quod tale: Qui in una contemplatione Dei, mentem defixam habet, ei montes & speluncas habitare convenit: at qui una cum virtute, etiam mores civiles exercuit & junxit, quique notitiam paravit rerum variarum; Ille verè populum regere, & ducere ad optima, optimus est. Sarmatiæ

*A. Hirtius
in bello A-
lex. C 66.*

*H. 5, 8, 6
Justin. 36. 2.*

Hist. L. 3.

Clerus à Voto publicè dando si excluderetur, arcereturq; , Senato-
 ria à dignitate, per brevi Senatam sine Senatu, Regnum sine Regno,
 legem sine lege, & populum sine populo videres. Nihil si impedi-
 menti, quo minus Sarmatia Venetorum prudentissime ordinatam
 ad Remp. reduci posset, hæc unica sufficeret sententia: *Fuora, i Preti.*
 Suo Senatus Polonicus viduaretur, decòre, consilii que dexterâ bo-
 nitate, nisi decumana Episcoporum prudentia eum corruscantem,
 non aliter ac in Imperio Romano-Germanico tiararum triga Ele-
 ctorum tribui eminentissimum redderet jubar. Sacerdotes, dotes
 quibus Regnum fulciunt, tantas inferunt, ut sine Sacerdotibus do-
 tibus cunctis orbem sifteres orbem. Acutissimi Veneti, in dura-
 tione certare Remp., cum æternitate putant, quia militaris discipli-
 næ heroicū exercitium suis à Nobilibus, ut primis ab hujus Reip. in-
 cunabilis exclusum ivere, ita adhucdum eunt, hâc forte moti ratio-
 ne, ne si uni, arte in militari, excellenti Viro totius exercitûs com-
 mitteretur manus, ille variis illecebris & verborum lenociniis eam
 suas in partes traheret, & alterius Cæsaris instar non tantum in æ-
 qualitate inæqualitatem inveheret, sed & sanctum aureæ libertatis
 bonum deglutiret. Sarmatiæ ad arma, in, & cum armis natæ hæc
 pareret lex rabiem; Sagam nulli vult concessam alienigenæ, sed
 propriâ manu suam tueri libertatem, omni turpi ambitione exter-
 minatâ Imperii fasces ad se contra omne jus & fas rapiendi. Nec
 ceu Veneti, qui, Jovio si credendum primo historiarum, neminem
 temere ex optimatib⁹, qui vel insigni virtute, vel spiritu, in geren-
 dis rebus, ceteris antecellit, nimio plus crescere, vel collectâ gratiâ
 potentem aut clarum fieri patiuntur, insigni virtute præditos ab
 honoribus & dignitatum apice abigunt; sed in Virtutis carceribus
 alacriter currentibus calcar addunt, nec patiuntur stygiis undis in-
 clytam mergi virtutem Poloni, execrantes abominandâ, ostracismi
 Atheniensium, pestem, quæ justissimo Aristidi, justî ob cognomen
 omne prosperitatis abligurivit pabulum. Polonorum inter Reges
 nullus fuit Tiberius, cui nulla vetus in Aruntium ira, sed divitem,
 promptum, artibus egregiis, & pari fama publicè, suspectabat,
 Nullus Nero, virtutem ipsam excindere cupiens. Gymnasium Vit-
 tutis est Polonia, in quo opipara insigniaque distribuuntur præmia,

Bodin. de
 p. 3. 4.

Acir 2. 13.

1. 1. 21 2

ad

ad quæ nulli non patet aditus. Veneti Mamerci Dictatoris sequuntur consilium, qui maximam libertatis populi Romani custodiam esse, aiebat, si magna imperia diuturna non essent: & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset. At Poloni sine omnimoda Reip. internecone à M. Popilii prudenti sententia discedere nequeunt, qui, ne Gracho in provincia succederet, deprecatus, sic fari auspicabatur: Interrumpi tenorem rerum, in quibus per agendis continuatio ipsa efficacissima esset, minimè convenire. Inter traditionem imperii novitatemque successoris, quæ noscendis prius, quàm agendis rebus imbuenda sit, sæpè benè gerendæ rei occasiones intercidere. Monstruosæ excitarentur turbæ, si Episcopus vel Palatinus, exantlato honoris labore, honore privari deberet. Quilibet Patriæ immunitatis studium cordicitus Senecæ testetur ore: Nihil volo derogare legibus, nihil institutis: æquum inter omnes cives jus sit: Utere sine me beneficio meo patria. Causa tibi libertatis fui, ero & argumentum. Ex eo, si plusquam tibi expedit, crevi.

Diffusio rem recensere anomaliam si insisterem, sanctam & cum æternitate certantem, huic inclytæ suam detrectare famam, videret Reip., quæ ita perfecta, ut ipsi regulæ nihil concedat prærogativæ. Quare hoc in oceano vela contracturus, Vistulæ, ad ripas, circumactum pelagi erroribus caput dulci sum compositurus quiete, hæc cum epigraphæ: Fore citius Adriaticum ut mare mutetur in Balticum, quàm ut Sarmata se apter, Veneto. Cælum cælo, temperamento temperamentum, ac genio hic refragatur genius. In dissimili simile, in atro candidum quærere, est, Sisyphi volvere saxum.

Priscas nonnullis Sarmatarum leges nimium quantum esse recommendatas audio, ita ut pruriantur suffragia duodecim in Palatinorum largiri electionem, Sinistra, contraque Reip. emolumentum præliantia nisi forent, ad stipularer; Ast uno pro Rege duodecim in solio videre sedentes, horret animus, lymphâ stillant hirci. Uno plures si pati cogitur infessores, recalcitrat equus. Legitimus thalamus binos abominatur Hymenæos. Phæbo uno contentus mundus. Æther unam voluit lunam. Quis ergo naturæ contrariaretur legibus, ut Regnum Regibus onerare vellet duodecim?

Liv. 4. 2.

Liv. 4. 1.
5.

Epist. 86.

Duodecim
Palatinorum
electio
novæ

Nunquam incolumes bini Patres familias unis in ædibus visi, cum jubere & inhibere frequentissimè occurrunt simul. Uno in loco simul ignis & aqua ubi summum exercere dominium nituntur, nihil generabunt, sed destructionem maturabunt. Duodecim temperamenta ex temporibus proficiuntur duodecim. Nonne chelydem chordarum pluralitas causatur rarò consonam? & si harmonia aliqua conciliatur, non nisi momentaneam audies. Et nullus, nisi hospes prorsus annalium in monumentis, inficias est iturus, Regiæ, duodecim in Palatinos, dignitatis collationem Sarmatis nunquam non fuisse fatalem. Postquam Vanda Virago Vistulæ inter undas, superstitiosa ex fortitudine & dementi voto vitæ suffocaverat auras, regnumque successore viduatum reliquerat, fascès duodecim concrediti Palatinis, sed funesto eventu, Acinaces Patriæ in hostes stringendi, propria in ilia sæviebant, & tumidâ æstuentes ambitione, mutuis se conterebant cladibus, donec Marcomanni, Hunni & Germani Poloniã undiq; angustantes, illam luctuosissimæ miseriæ triste redderent theatrum. Immatura, Lechianæ stirpis, post fata, libertatis bonum strenuè asserentes, nullique non extraneorum Principum purpuram invidentes Poloni, duodecim subornabant Palatinos, qui mutuis dissidiis ac intestinis cladibus viginti intra annos ita affecêre regnum, ut vix quarta ditionum portio Polonis relicta. Visimirus ex Lechi nepotibus ultimus, decumanum Poloniæ dedit augmentum, dum Danorum Regem maximâ Regni parte exiit, occupando Rugiam, Femeriam, Fioniam, Scandiam, Selandiam, & infinita prope Albim & alibi loca, quæ ad hæc usque tempora nomina à Polonis indita retinent, Vismar enim à Visimiro, Lubeca, Gedanum, aliæque civitates ab aliis suam sortitæ sunt nomenclaram. At unde hæc avulsio? duodecim Palatinorum discors regimen. Hoc Polonico exemit scepro quicquid inter Albim & Veferam continetur. Brema, quæ Slavis onus sonat, & quæ ense Lechi acquisita, tunc perdebatur. Omnes illæ provinciæ, quæ suam debent fertilitatem Oderæ & Vistulæ, præpostero ambitionis studio Palatinorum, cessarunt adorare Poloniam. Romani unum non potuere tolerare Tarquinius. Quæ ergo mens Polonis, qui non duodecim Tarquiniis sed Harpiis affligi gestiunt. Lerna hæc erit malorum

rum, nullius Herculis interimenda manu. Fatales bis fuere Palatini, tertiâ vice eorum eligendorum si inicitur consilium, alieno sub polo Polonis erit degendum, suâ si velint frui libertate. Fucatus est libertatis titulus, quæ enormi huiusmodi regimine speranda, gymnasium ambitionis, factionum, invidiæ omnisq; calamitatis est futura Poloniâ, si ad id perveniat dementia, ut pro uno Rege patiatur sibi tot obrudi heros, qui proprii commodi studio laborant, vel amore in suos, vel in pares invidiâ. Auget serviendi necessitatem, qui multiplicat Dominorum numerum.

Quicquid hâc in immensâ rerum universitate continetur, omne collocat studium in conservando suo principio, à quo suam traxit & essentiam & existentiam. Quod dedit esse, etiam dare tenetur conservare. Latum si unguem à sua abscedit causa, accedit ad interitum. Sarmatia Regem sui agnoscit principium, quod si respuit, abnuat conservari, diligitque occasum. Faulsa Regum sub auspiciis, dummodo ipsa non infortunii studiosa fuerit, floruit. Libertatis tenor sartus tectus semper superbivit, qui sub duodecim Palatinorum jugo pestundatus squaluit. Abominari Regem, nisi qui fortunam, potest nullus. Unius Dei ab imperio se impiè subtrahere nititur, qui Regem dissuadet, & invidiâ lacesitus uni denegat, quod omnes cupiunt. Qui unius, idem & paucorum iniquum centebit imperiû, nisi ipse vel esset, vel esse speraret eorû ex numero. Si enim injustû est non esse jus æquale cunctis, cum æqualitatis status sit status belli, injustum quoque erit absolutum optimatum regimen. Libertatis qui desiderat bonum, aveat Regem. Simulachra immunitatum vendit Aristocrata æque ac Democratia. Portæ quidem, ac Civitatum turres characteribus amplis, quibus libertas signata, superbiunt, sed ea est Civitatis non Civium libertas. Nullæ non Respi, quæ libertate frui autumant, non libertatem sed dominium possident, quod confestim excuterent, si præ crassa inscitæ & mentis caligine illud animadvertere valerent. Alpium accolæ, & Confederatam si exactius examines gentem, mihi non refragaberis, modo iis nec centesimâ esse libertatis partem, quâ quondâ nituere. Rex sui, suorumve tantum habet curam, qui unus facile, imprimis si proles de successione certæ, satiari potest, & si suos locupletare cupit,

*Eligendos
Rex.*

pit, pauci sunt, quia unius sunt. Multorum si vis regimen, tot vis dirandos, quot gubernatores, qui dum multi & semper novi, fieri id civium sine oppressione nequit. Nisi mancipium fieri gestis, aurem præbeas quæso Sagacissimi Stagyritæ dogmati, qui *statu in populari seu optimatum libertatem ex suppositione esse*, sapienter asserit. Rege regi, si vult feliciter regi, debet Polonus. Dominatum optimatum parturiet regimen, nec unquam alma pace sine Rege virebit Resp., quam turbidâ sunt redditura cerebrata turbida, studiosa novitatum, & ad arma prona. Falces si imperii bonis, simplicibus nec ambiosis, concreditur, per breve illud videbitur frigoris rigore mortuum. Sin Martis alumnis, augetur quidem, sed libertatis cum decremento & detrimento. Sarmatia pravo scatet latice occulto, qui difficulter dissipabitur vel digeretur, nisi spiritu valido, nec diu victura, nisi quàm ocysimè organis instruat aptis. Verissimo pro canone habendum; Nullam posse conservari Remp. nisi iis artibus, quibus ab initio fuit stabilita. Rex Sarmatis dedit esse, det & iis conservari.

Certum est solidam Sarmatæ incolumitatem Regio sub Solio nidulari, nec Sarmatarum ullum a deo vel passionibus lippire, vel lucro occæcari, quin Regem Poloniae ac Orbi Solem esse necessarium, altâ statuat voce. Rex vinculum est, per quod Resp. cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur. Ardum autem esse, tantam inter Candidatorum catervam, si non optimum, saltem meliorem nominare, haud inficior. Nec minus difficile est tantis totque ex vocibus, concentum facere. Quilibet suum, tantû, quantum alterius valere ingenium, credit, & nonnullis quanquam strabismus, apprimè sanis se melius ad utilitatis ima visu penetrare putant. Discordia ut huiusmodi concors reddatur ingentis est molis. Fieri tamen debet, & futura, si cunctos ad examinis tribunal vocant Candidatos, & quidem justâ iudicij bilance cujuslibet ponderaturi merita & dotes. Duplex horum sese offert census, Indigenarum & alienigenarum. Indigenarum qui suffragatores, Pyasti Crusphicensis nituntur exemplo, cujus sub auspiciis maximè beata visa Polonia, & cujus stirps fœminina in augusto hoc nostro Casimiro ad huc dum suos edit fructus, Boni in memoriam, fu-

L. 6. Polit.
2.

Ast non Py.
istus.

Sen. de Clem.
4.

Sitiva, non tam cito, suas exercere potest vires, oblivio. Manet altā mente repositum ex quo redundat commodum. Nihil miri idcirco, quod præterita retrospiciant ad secula Patriæ Patres, quorum humeris, ceu non vacillantibus Atlantibus, Regni imposita salus. Pyastum volvunt in mente, Virum Virtute & pietate præstantem, Cui, annalibus si fides, cum Paulo & Johanne Martyribus Romanis, divina intercessit consuetudo.

O Priscos hominum mores, ò nescia fastus

Simplicitas! ingens ò probitas, & amor!

Non puduit Proceres, homini dare sceptrā, Polonos,

Qui modo cultor agri Crusphiciensis erat.

Ob solas Virtutis opes, Virtutis honorem,

Quā Vir in exiguā floruit ille casā.

Hoc orti de fonte Duces, Regesque Poloni

Duravere dies, ad Ludovice tuos.

Diogenis usurpetur lucerna, & anxè quærat Pyastus, Pyasto si non prorsus similis, saltem aliqua ex parte conformis. A Borysthine ordiatis, progrediendo, per Buckium, Viliam, Memelam, Vistulam, ad Oceani fauces, Utraque in Polonia es reperturus: Wisnewicios, Potocios, Konispolios, Lescinios, Lubomirscios, Morsteinios, Guldensternios, Opalinscios, Reios, Magno in Lithvaniæ Ducatu: Halebowicios, Radzivilios, Sapiehas, Slucios, Chalecios, Tiscevicios, Paccios, Chodkevicios; Crispinos. Hoc in Catalogo an Pyastus, & Regno proficius, licet dignus, reperiatur, judicet omni affectu calvum cranium. Humana natura ita est constituta, ut exaltata eminentiorem in gradum subito metamorphosin induat, ambitionis inflata bullis; Prætensionū vanitate tumescit, seponendoq; prioris conditionis memoriam, tota nisi penitus in stoliditatem, mutatur in futilitatē. Prostant non pauci ambitione ita exccæcati, ut promotores & amicos neutiquam videant, vel si vident cognoscere erubescunt. Alii aliquā virtute fulti, desiderant quidem amicitia continuationem, sed tale desiderium nihil nisi fulgur in momento evanescens. Nihil in mundo, quod naturam, cogitationes, molimina & mores mutat citius, quam honores. Sine conditionis æqualitate, nulla amicitia conservatio speranda. Dignitas cui authoritas nupta,

pta, oblivionem æqualitatis, & memoriam, se plus, aliis factum inducit. Nequit subjectus esse amicitiae legibus, qui rationi subjici renuit. Multis ad dignitatum culmen evectis, æque facilis est saltus ad impietatem, quam ad dignitatem, atque abhorrendo pristina à confidentia, timendove nocivam, odium, contra personas concipiunt, Vatinianum, rupturi non duntaxat amicitiae, sed & rationis, imò humanitatis leges. Cave itaque ô Polonia! ex æquali inæqualem, ex Confratre facere Regem. Ab amico exaltato tantum speres beneficii, quantum inimico à potenti. Benevolentia enim in Majestatem, in mandata consilia; beneficia in catenas, & in contemptum mutatur familiaritas. In dominium receptus, non vult cognosci subditus. Ut dignitas repentina & improvisa mater multarum enormitatum & dissolutionum: ita prudentis est dimovere pedem, & ridere stultitiae vanitatem è longinquo. Satius enim est absens ridere, quam praesens summo cum periculo deplorare miseriam, quæ eò intolerabilior, quoniam proficiscitur ab eo, à quo felicitatis sperabatur complimentum. Nulla mortificatio durior, nullus asperior contemptus, quam ab amico datus. Porro servitia superioribus exhibita usurae, & affectus redhostimenti induunt naturam; Unde ergo certitudo conservandae amicitiae gradu in inferiori collocatis. Servitia amicis superioribus praestita, non minus sunt periculosa, quam superflua. Superflua, quia qui meritis est cum amicitia, meruit sufficientissimè, & amicitiae merita, servitutis meritis sunt majora. Periculosa, quia debitis onustus, & amico plus justo devinctus, nec beneficiis merita adæquare potens, timet ut ab amico deseratur; ideo ne debitor videatur, cum portentosa, crudelitati associata, solvit ingratitude, quippe titulus crudelitatis non minus odiosus Principibus, quàm ingritudinis. Axioma est infallibile, in partu disparitatis, mori amicitiam; Promoti ad thronum averfantur socium, plus amantes inferiores pedibus advolutos, quàm pares à capite non procul commorantes. Nulla generosiorum animalium species, sibi ex suis eligit caput, nec inæqualitatem inducit. Quæ mens ergo Sarmatis futura, ut contra naturae ordinem ex confratre sibi faciant dominum? Nulla acrior servitus, nec intolerabilior, quàm quando frater servire tenetur fratri. Et si fatalis aliquis consensus,

sensus, Pyasti in electionem daretur, effectum nunquam suum fortiretur. Litvanus ambitione tumidos pulmones neutiquam in Poloni eligendi elevaturus est suffragium, nec in Lithvani generosus, prærogativam præ hocce præterdens Polonus. Difficultatem hanc experti quondam, Stephani ac Sigismundi electores. Pyasti electio ut antiqua, ita abolita. Pyasti redeant tempora oportet, si diademate coruscandus Pyastus, & mores ingeniaque quæ tunc temporis viguere revocentur, redintegrentur. Extraordinarius ille eligendi mos, cum Pyasto mortuus. Revivisceret citius Pyastus, quam quanquam dignissimus, Polonus solio aptus.

Alienigena idcirco quærendus, inter quos orchestram occupare arbitratur Moschus, qui amplissimis suis oblationibus incantare studet Polonorum animos; Filium Catholicis ritibus initiandum pollicetur, sed quo devotionis ardore non addit. Ad Romanæ Ecclesiæ fidem adstringi nequit, cum fides ei nationalis, nullam ut servet fidem. Fictus non factus erit Catholicus. Cum religione tanquam cum tesseriis ludere nulla ei religio. Sub religione regionem quærit. Vulpes hic mustelæ Æsopicæ induit formam, ut depilet nisi devoret Polonos. Quamcunque vis assumet faciem. Ipse sibi est Circe omnia formarum genera creare potens. Ulysses sint Poloni necesse est, hujus si evitare velint incantamenta: Sirenum superat cantum, quò, dum ex charybdi trahere recipit Polonos, in servitutis æternæ Scyllam præcipites det incautos. A manu si datur cælesti, scelestus Moshus, in perniciem, non in frugem, non in gratiam, sed in pœnam datur. Rex erit Israeli-tico populo ex ira promissus: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum. Constituet sibi aratores agrorum suorum, & messorum segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias, & panificas. Agros tollet, & segetes decimabit, ut det famulis suis. Servos vestros, ancillas, & juvenes optimos auferet, positurus in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque ei eritis servi. En libertatem Moschi ex electione sperandam! Innumeras thesauro nostro offert milliones, sed verè innumeras, cum eas numerare non habet

Non Mos-
huu.

1. Sam. 8.
v. 11.

in animo. Argenti vim, quam militi solvendo promittit, non nobis, sed sibi dat, attrahit enim sic magneticâ hâc virtute Militum animos, ejus ut ex nutu pendere teneantur. Acuentur acinaces nostra in viscera, explodentur bombardæ nostram in perniciem; frangetur libertas, & Rutenorum cogetur osculari jugum Polonus. Linguâ quidem non adeò à nobis diversus, sed moribus profusus. Punica ei fides, Pœnorum hæreditario jure tenacissimè retinens ingenia. Fidei firmitas in hoc sita ut fidem frangat. Juramentis sacra æque eis sancta, ac cani famulico jejunium. Perjuria Laomedontis, oculos Argi, & Briarei in ipso es visurus manus, tanquam Hircanis genitus tigribus. Filius Caiaphæ, & Satanæ primogenitus merito appellandus. Vitæ immundæ studiosissimus Moskus ita, barbarie ut nullas non antecellat nationes. Porcorum, Ursorum, accipitrum & Luporum, non ingenuorum eligendus Rex. Nihil magis Polonis dissimule quàm Moshus: Est quidem, nescio quo fato antypathia Hispanum & Gallum, Suecum & Danum, sed nunquam major, quàm Polonum & Moshum inter. Poloni sunt generosi ac si Alexandri Magni anima omnium insideret corpora. Fortitudine & Justitia præscos superant Romanos. Prudentiâ & consilii dexteritate Sparta iis cedere cogitur. Pomposâ magnificentiâ multis parasangis post se relinquunt Persam, ita tamen ut luxus exulet Darij. Promissi tenaciores, antiquis Germanis. Virtutum Polonia emporium, ubi ceu aliis Athenis mercatura bonarum viget artium. Moshus vero Phalaro cruentior, Midâ cupidior, Antonio jactatior, Tiberio callidior, Tarquinio superbior, Cajo periculosior, Claudio socordior, Nerone impurior, avarior Galbâ, audacior Othone, Vitellio sumptuosior, ac Domitiano truculentior. Nulla gens barbarior, adque res novandas proclivior Ruthenicâ. Imperii tenax & ad servitutem sueta suo modulo aptare conaretur Polonorum liberrimos genios. Simulac Moshum nominas Regem, de libertate actum esse credas. Potentia ejus nimis vicina, quæ excubias agit servilem ut Polono imponat mitram. Si posse nubat velle, nihil ei facilius quàm vires nostras frangere, juraque evertere. Et si fatali aliquo influxu immunitatem nostram tutaretur, mole Turcici & Suecici belli perpetuo premeremur, qui

immensæ potentiaæ metu, armis nos semper infestarent ad frangendas Moshivires, quæ quia nimia in justam reducenda mensuram. Bellum quod nos ferè detrivit, tunc deglutiret, implicarem enim scimmortali Bellonæ, quæ nobis hucusque satis novercata. Imperandi axiomata, quæ omnem in felici regimine obtinendo absolvent paginam, nunquam est usurpaturus, sed eadem methodo quâ suos tractavit Ruthenos, herili imperio & gembundæ tyrannidi assuetos, est tractaturus Polonos, quibus nulla servitus, sed omnis libertas cordi est. Ludovici Pij est imitaturus exemplum, qui administrando in imperio, sui potius, quàm subjectorum ingenij rationem habuisse dicitur: cum inter præcipuas regnandi regulas sit, suum ingenium, ex eorum qui reguntur ingenio moderari, indeque consiliis & actionibus habitum formamque mutuari. Nescit provinciam Polonorum unam ad instar lyrae, non solum mollitie extremorum digitorum, sed & unguium duritie indigere. Aliam Cytharæ similem, quæ levistantum calami sustinet impulsum. Nonnullam ad modum organi, pondus quoque manuum requirere. Noscenda natura vulgi est, & quibus modis temperanter habeatur Prudenter eloquentia Romanæ Princeps: Ad Consilium de Rep. dandum eaput est, nosse Remp: Et

Principis est virtus maxima, nosse suos.

Tacit. 4. 3.
2.
Cicero. 2
de Orat.
Mart. 8. 1

Odia in mores suos, quorum ubique retinens est Ruthenorum natio, translaturus est, non aliter ac Philippus Secundus, Hispanorum Rex, qui Belgis suis esse & videri semper voluit Hispanus. Sarmatarum Rex versatili ad omnia debet esse ingenio, ac mores externos ita induere, ut non minus cum Polonis Polonum, quàm cum Germanis Germanum, Italum cum Italis, Gallum cum Gallis agat. Vonones alter futurus est Moschus, qui licet Parthus, sed Romanorum artibus infectus, & à majorum institutis alienus, regno excidere, atque Zenoni cultum Homeniorum æmulanti cedere tenebatur. Disciplina militaris ignarus risui & ludibrio est futurus, æque ac Ranimirus Hispanorum Rex, qui cum susceptâ contra Saracenos expeditione, eques, brachio sinistro scutum, dextro lanceam adaptasset, mox fræna equi apprehendere jubetur: Qui possum, inquit, utraque manu occupatâ, nisi hæc denti-

Tacit 2. 2
5 & 2. 55.
Collenut.
1. Hist.
Neap. 6.
Roderic.
Sanct. hist
part. 3 C.

bus retinenda quis porrigat? Pronum se offert per matrimonij
 fœdera Ruthenos reddere Polonos: Ast aptior taurus ovi, quàm
 Moshus Polonorum gynecæo. Nunquam Therſites Helenæ, nec
 Polyphemus placuit Galatææ. Rigidas Ruthenorum conjugij, leges
 execratur Sarmatica Venus, amatura Hymenæum politum, civi-
 lem, non Catonianâ austeritate, & superciliosâ gravitate ferocien-
 tem. Lithvanum, & legitimum magni Ducatus hæredem se glo-
 riatur, quoniam Jagello Lithvaniam Poloniæ inferens, ceu Vafal-
 lus se feudi subtraxit Domino. Verum Lithvanus nuncupari ne-
 quit, nisi quia in Lithvaniam flammâ ferroquè crudelissimè sævit.
 Prætensio, quâ stultum fucare nititur nisum, nulla est. Recte ex-
 cussit tyrannicum jugum Jagello, quem naturæ jus jussit se in liber-
 tatem vindicare. Armorum vi per infinitorum lustrorum seriem
 omnem annihilavit prætensionem Polonus. Mica si generosita-
 tis Lithvanorum in pectoribus, legem sunt sancituri, quò nobilita-
 tis caractere orbetur, qui adeo perfrictè futurus frontis, Patriæ què
 commodi oblitus, ut eligendi Moshi mentionem facere sit ausurus.
 Impiâ armorum vi diadema nancisci quidem minatur; ast minæ
 sine fructu futuræ & ridendæ. Sarmatiam virium non exiguâ
 portione esse labefactatam confiteor, sed non ita, quin incomptæ
 Moshorum manui, impotenti potentiæ & ingenti sine robore
 moli resistere valeat. Poloniæ concordia innumerum barbaro-
 rum est profligatura exercitum. Scuticis non acinacibus, bestiis
 domandis & ex aliorum pratis abigendis opus. Radziviliana im-
 proba ambitio, felicem armis nuperis largita est progressum, & si
 concordia sufflaminasset truculentum ingressum in Smolescyæ
 finibus finem expertus fuisset vitæ, fœdis fragus nequam. Hosti-
 bus dam cinctâ Polonia esset, impiis cum Cosacis atrocibusque
 Tartaris suum ludere lusum est orsus. Momentum ipsi favit, quod
 contrarium futurum, semel si adhuc prophana hujusmodi auspi-
 cabitur molimina. Concors esto Polonia, si Moschus piger tibi
 futurus musca, Polonorum ex sterquiliniis nata. Sapit quod mi-
 netur. Inspit si moratur Sarmatia minas. Nobilium Sarmat-
 arum turma si insultum minatur, trepidabit quicquid vasto in am-
 bitu complectitur Moscovia, & nullus non in Caucaſi apicibus
 est

est quærendus salutem. Crepitus armorum Ruthenorum strepitus. Fumus Thraſonica eorum verba, qui apibus abigendis tantum par est. Nulla si Polonis alia causa ab electione excludendi trucem hunc Pœnum, unica hæc sufficit, quod vos floccipendendis cogere velit minis. Generosus omnem citius fortunam, imò vitæ perderet usuram, quam ut ad minutissimum se cogi pateretur. Poloni si esse vultis, minæ Vos ne moveant, & à suffragio eliminatus eat squalidum pecus. Cœli invocetis Numen Poloni, quo mentes deflectantur à consilio eligendi Moshi. Dementia esset vicinum durum petere in Dominum. Lucanus Libro tertio jam suo ævo agebat :

Savisque affinis Sarmata Moshis.

Horret animus cogitare de Mosho, congelatur sanguis quoties ruderæ & eremum, quam in Lithvania & Polonia parturivit, intueor. Unanimi exclamandum voce :

*Parcite Cœlicola; quid demere vincula rebus
Heu placet, & miseras monstris evertere terras.*

A Carolo Lotharingiæ Duce vix clementior speranda fors, Nec Lotharingia Duce
atque fortuna. Gallorum contagio infectus, haud absonos à Gallicis est editurus mores. Imperij Romano Germanici se gloriatur Vasallum, ac Germanorum albo inseri gestit; Ast nihil est minus, quàm Germanus. Gallicarum artium perfectè gnarus, non est neglecturus Gallicæ dominationis exercitium. An sit Catholicus ignoro, hoc tamen scio, eum Catholicæ religionis, hoc est, nullius non esse sectatorem. Qui Catholicam, sequitur universam, seu omnem religionem. Si poma non procul à proprio cadunt stipite, non multum à Patruï aberit ingenio, quod Verrumno mutabilis. Fraudes neſtere si laus, summo erit encomio dignus. Cum fide joculari si ars, erit artificiosissimus. Genio tantum distat à Gallo, quantum à lupo Vulpes, vel ab Hannibale Pyrrhus. Juvenis est formosus, graciosus, insignibusque virtutibus insignis, quas vultus decor mire recommendat. Armorum usus ei nullus, vel exiguus solummodo usus, qui profligandos ad Poloniae hostes apprime requiritur. Polonos Bellona, & Pallas beare, & arctissimo conjugio Ars & Mars copulari debent. Opes, quibus Polonia opus, levem

dabunt opem. Patruus Hispanicis spoliis dives, maximam portionem bello consumere tenetur, nec usque eo teneri est pectoris, ut consanguinei memor, sui obliviscatur. Naturæ lex profundas in eo egit radices, ut sibi propior cæteris. Quos promittit, thesauri erunt carbones. Nudus in Poloniam intraturus, non parum creabit incommodi. Regius status grave requirit marsupium. Diademate qui vult ornari, ornet & illud necesse est. Sed unde in eremo siligo? A Lotharingæ Numine nummos sperare noli Polonia. Rivalem hunc, propter facultates, ne habeas recommendatum. Codrus est non Cræsus. Aureo pro vellere naviget primo ad Colchos, & Tu, Polone, ad Anticyras pro Helleboro, eo si in eligendo perseveras. Æquè est ac si domo ex Austriaca aliquem eligis, huic si das suffragium. Imperatoris potentiâ suffultus, non levia, libertatem adversus Sarmaticam, est machinaturus. Vicina potentia si fomitem habet, propriâ periculosior. Habetur sic hostis in visceribus, & Saturnus proprios sic devorat liberos, sub amoris specie Samoscij monitum redintegretur: Poloniæ, domo cum Austriaca, nec conjugium nec commercij quicquam ineundum, Thalami in sociam si eligat Austriacam, clandestina dabuntur & consilia & auxilia nostræ libertati omne punctum derogantia; Vicinia hujusmodi est facilitura conamina. Quales venti ex Austria in Uladislai intentionis flabant vela, norint ii, quibus tunc in Rep. navi remigium obliquare cordi fuit. Moscham si ducat, barbaries cum impetu in Poloniam irruet, infectura & ingenui quicquid est repertura. Libertati imprimis imminèbit excidium, quod non sine Regis consensu, seu astuta conniventia, facillimè sumam est adepturum maturitatem. Cosacorum, Tartarorumque manus, suæ adaptabit Moschus manui, ut nostram in perniciem extendatur, præprimis, si improlis futurus Rex; tunc aperiret sibi prætensionum fenestras barbarus. Non est eligendus Rex, qui prolis incertitudinem secum vehit. Minore cum periculo eligitur in re, quam in spe habens liberos. Odium effugere nequitis; Si Lotharinga ducit Moscham, en insensissimum ab Austria hostem! Sin Austriacam, in Regni visceribus moxmo Moschi es visurus arma. Utrumque si velis, Polonia, amicum, Lotharinga cedat. Quid

Franciæ Rex odii adversus Polonos, eorumquè ex Lotharingia sumptum contraheret Regem, per brevi cerneremus. Contemptus Domui suæ illatus eum externaret, incitaretque spinosas in pectore ferere curas, quàm citissimam petere vindictam. Gallum non posse eligi, inquit, quia Gallo infensus Polonus, & tamen Gallo pejorem electum imus. Crudelissimum si denotare velit hostem Germanus, Lotharingam appellat. Ad examinis incudem vocetis & commoda & incommoda ex Lotharinga in Vos redundantia; Sane in commodorum acervum, commodorum nihil estis reperturi. Divitias, quas pollicetur, quasve speramus, non habet. Animi corporisque bonis, aliis Candidatis longè inferior. Prærogativa ei nulla. Præensionum ne hilum quidem. Sit miles, sit prudens, pares infinitos dabit Polonia. Ecce in Wisnevicio Achillem; in Helebovicio Ulysses, Palamedemve; in Bogislao Radzivilio Herculem: in Michaele Ajacem: In Sapicha Diomedem: In Potocio utroque Agamemnonem, & Turnum: in Pacio Nestorem. Heroibus non indiget Sarmatia, Non minor Virorum fertilitas in Sarmatia modo reperitur, quàm quondam in Latio vel Græcia. Non tam Viris, quàm viribus, quas aurum creat, opus habet Polonia, quanquam & virium affatim adhuc, si à Prudentia quaeruntur, Lotharinga quaerere impar. Vadat cedatque meliori.

Relictis Septentrionis oris, ad dulcioris auræ Gallica climata, à despótico tamen ad despoticum sumiturus imperium annexi exploraturus, an inibi aptum Sarmatico reperire liceat throno, Princeps Condæus, Regio ex sanguine satus, multisque Regiis dotibus dotatus, non parum prærogativæ, aliis præ Polonia Candidatis habere videtur, dum thori in sociam, defunctæ Sarmatiæ Reginæ ex Sorore prognatam, electam possidet. Solemne multis retro seculis fuit Polonis, proximos Regis personis sanguine junctos, ante omnes Regni ad culmen promovere. Est hic Princeps Catholicus, in Christianæ rei augmentum, hæresisque decrementum natus, ære potens, quoque absumptas Sarmatiæ vires pristino robore beare potest, in primis virtus si accedat bellica, quam à Patre Heroum maximo implantatam autumandum. Ditionis nostræ alas si non expanderet, saltem ablata recuperaret, & ruinas, quibus Patria

Non Princeps Condæus.

tria nostra scateret, deleteret. Paupertatem, quæ absolutissimum in nos exercet dominium, & quæ gravius pondo, quam quod ferri potest, auferret, commerciorum vigorem, parcamque rei œconomica administrationem introducturus. Nec est ut libertatis timeamus naufragium, cupido Regnum in prolem derivandi, eum urgeret ne hilum ab immunitatum integritate detrahere. Speciosa hæc videntur, sed semotâ fucatâ crustâ, rancidi puris plenum reperietur ulcus. Liliū Sarmatico solo semper fatale fuit. Cladis quantum turpis Henrici Andegavēsis, causata fuerit, fuga, loquuntur historiarum monumenta. In nullius non auribus sonant adhuc dum, nuperæ Reginz enormia, & plus, quàm tyrannica mandata. Cometarum nullus tam feralem habuit influxum, quam meteoron hoc infaustum. Altera fuit Helene, quæ Sarmatiæ, ut hæc Troiæ parturivit excidium. Parere nisi malum, nisi monstra, non potuit. Bonorum fuit sterilissima, malorum fœcundissima mater. Liliū quod plantaverat, degenerabat in vulvariam, vel urticam & carduos. Gallina hæc, si præter ova subventanea Scorpiones enixa est, quid Gallus generabit, qualisve exspectandus fœtus? præter basiliscum sane nihil, cujus indolem repræsentaturus esset, tantæ prærogativæ vanitate sibi adulans Condæus. Gazam quam ditescendo thesauro inferre pollicetur, suum verteret in commodum, empturus nefandâ avaritiâ prægnantes animos, corrupturusque, excepto auro, nihil, sitientia militum pectora, ut ferum in Sarmatiæ torqueatur jugulum, perimaturque libertatis flos, qui tota in Europa in Polonia & Divina in Germania tantum fragrantiam suam edere potest. Universalem Gallus meditatur Monarchiam, quam ut adipiscatur, priscorum Gallorum effatum semper in ore habet: Se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse. Atheniensium in impia schola abominandam hanc didicit doctrinam: Non se habere alias actorum defensiones, quàm quod sciret: semper moris fuisse inferiorem à superiori premi, & neminem unquam tanti æquitatem fecisse, ut ejus causa occasionem extendendi imperii è manibus dimiserit. Deos se secundum leges colere: in cæteris vivere omnium mortalium ingenio, ut quibus prævaleat, imperio premat: eam legem neque se primum

Livius L. 5.
 36.
Thucyd. L.
 1. §. 5.

mium tulisse, neque latâ primum usum esse; sed jam ante omnium
 populorum usu approbatam accepisse. Alter Tiridates futurus
 Condæus, pro fidei articulo habens: Id in summa fortuna æquius,
 quod validius, & sua retinere privatæ domus, de alienis certare
 regiam laudem esse. Pythagoricam in eo celebratam esse me-
 tempsochos in cerno, ita ut Euphemi anima ejus in corpus migra-
 rit, qui Regi, aut civitati, imperium habenti, nihil injustum, quod
 sit utile, credidit. Nec arbuteris, quæso, hanc mentem Gallo-
 rum Regi duntaxat, non Galliæ Principibus esse. Idem dogma,
 idem fecit ingenium. Lupus indolem mutare nequit, nec acci-
 piter uncos deponere ungues. Hugonis Capeti ex profapia uter-
 que est. Principium imperii Gallici tyrannis fuit, maneat & sta-
 bile, stabilis si Rex esse velit: Capetus hic Hugo, magni Hugonis
 filius, Roberti nepos & pronepos Eudonis fœdissimorum tyranno-
 rum, nefario ausu Carolum, Ludovici quarti Regis filium carceris
 sordido mandavit ergastulo Aureliæ, in quo simulac calamitosam
 efflavit animam; Regni arripuit habenas, non ceu legitimus suc-
 cessor, sed ceu tyrannicus usurpator. En dignitatis Regiæ Cape-
 tianæ in Gallia scaturiginem, ex qua Regis moderni manat origo,
 qui nihilominus se gloriari atidet: Imperium Romano-Germani-
 cum hac tempestate per usurpationem in præjudicium Coronæ
 Francicæ teneri, & Coronam Imperialem legitimè pertinere ad
 Reges Christianissimos. Justitiam & æquitatem ab ipso, ex com-
 modo mensurari in aprico est; & affatim testantur injustissima ar-
 ma quæ Hispanorum Regi intulit nuperrimè. Violator est Pyre-
 nicæ pacis, prætensionem quia nullam habet neque in Flandriam
 neque in ullam Provinciam ratione dotis. Blateret quicquid ve-
 lit mendacissimum, & scurrile Auberii os, de legitima Flandriæ vel
 etiam Germaniæ invasione; nugatur, & præter futilissima somnia,
 & tetra mendacia nihil profert. Non verebitur se libertatis Sar-
 maticæ, ac quondam Germanicæ nuncupare Protectorem; ast non
 aliter ac Cromvelli: qui alter ceu Saturnus omne quicquid erat
 integritatis tyrannicâ devorabat ingluvie. Vel ut Henticus Se-
 cundus in Germania immunitatem protegebat; qui Tullum,
 Viredunum & Metim sub libertatis tuendæ larvâ suæ ditio-
 ni impiè adjecit; Has celeberrimas Civitates moneta, quam cu-

Tacit. Ann.
15. 10.

Thucyd. I.

Jacobus
Cassianus
L. 2. Cap. 2.

Sleidanus
L. 24. Anno
1552.

dendam curavit, inescavit. Cudebatur nummus cui Bruti pileus, utraque à parte ense cinctus insculpebatur, cum inscriptione superiori: *Libertas.* & inferiori: *Vindex libertatis Germaniae.* Mox alia cælabatur moneta; Luna sub Corona crescens. Manus è nubibus armata progrediens, sagittamque in Aquilam jaculans, nec non Canis venatici instar ducitare Leonem loro, cum circumscriptione: *Donec totum impleat orbem.* En libertatis tutorem, æque ac lupum hædorum! Francis familiare est, ridendo fidem frangere. Impudentissima est insolentia, quam hujus Ludovici decimi quarti monstrat nummus, qui sub Herculis forma depictus, dextro Aquilam Imperialem, & sinistro Leonem Hispanicum calcare non metuit pede, hoc in peristromate: *Vincendi sunt hæc præludia mundi.* Luculentissima ecce argumenta mentis insolentis, quâ omnem orbem subjugare, seque despoticum Universitatis Dominum creare concepit. Polonia ad servitutem redacta causa est futura Germaniæ subjugandæ. Dupleissius expressissimè ait: Galliæ Regem semper progressurum, donec universam subegerit terram. Ingenuos tolerare nescit Gallus, mancipia amat. Verè Maximilianus Secundus dixit; Regem Franciæ esse Regem Asinorum, quod populus quævis, nullo suo cum emolumento, ferat. Nullos libertate fruentes est in Polonia passurus. Multi Principes, vel ad minimum Principum privilegiis gaudentes, si modo sunt in Sarmatia, non diu iidem pariter ac in Gallia sunt mansuri. Nervosè Elector Moguntinus in oratione contra Franciscum primum fabatur: Multos fuisse olim in Gallia Viros Principes, nunc autem in angustum redactum esse eorum numerum; Regem prope solum omnia tenere. Dadinus scriptor Gallicus in dedicatione, huic effato plane consonis adstipulatur verbis: Sublatos, ,, provinciales tyrannos, tot monstra regiâ manu prostrata videbis. ,, Utcunque indulgendum sceleri, quod Principi gloriam parat, & ,, virtutis experimentum. Hercules nuncupari ambit, quia monstra, id est, liberrimum domat populum. O monstrum, omni monstro pejus, ferocius, & Minotauro crudelius! Argumentari syllogismo apodictico opinantur Galli, quando ex Regia dignitate absolutissimum colligere volunt imperium. Rhamni parabolam pro

semili-

se militare clamitant, cujus tenoralis : Dixerunt omnia ligna “
 ad Rhamnum, Veni & impera super nos, quæ respondit iis: Si “
 verè me Regem constitutis, venite, & sub umbra mea requiesci- “
 te; Sin autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devo- “
 ret cedros libani. Genuinum horum verborum sensum velle, “
 sibi persuasum habent, ut Regibus in nos constitutis in cunctis au- “
 scultemus, & si dictis obedientes esse detractamus, facultatem Re- “
 gibus dari flammâ & belli incendiis in nos grassari. Hoc Josuæ *Ios. 1 v. 16.*
 exemplo roborare nituntur: Responderunt ad Josuam, atque “
 dixerunt, Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocunque “
 miseris ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moyfi, ita obedie- “
 mus & tibi. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis “
 sermonibus, quos præceperis ei, moriatur. Hoc in argumentum
 quia Thomas Hobbes maximè Gallis arridentia scripsit, mirum in *Imper. C. 12*
 modum triumphant, rationum autem pondus, ipse trutines, quæ so- *6.*
 & quidem quas ex novo adducere satagit, testamento: Super Ca-
 thedram Moyfis sederunt Scribæ & Pharisei: Omnia ergo quæ *Matth. 23*
 cunque dixerint vobis servate & facite. Omnia inquit, facite, *v. 2.*
 hoc est obedite simpliciter. Quare? quia sedent super cathedram
 Moyfis, nimirum, principis Civilis, non Aronis Sacerdotis.
 Ipse Christus cum ei placuisset Regem agere, obedientiam inte-
 gram requirebat. Ite, inquit, in castellum, quod contra vos est, *Matth. 21.*
 & statim invenietis asinam alligatam & pullum cum ea; solvite & *v. 2.*
 adducite mihi: & si quis aliquid dixerit, dicite, quod Dominus his
 opus habet. Fecit igitur hoc jure Domini, sive Regis Judæorum:
 Tollere enim subdito bona sua, eo nomine quod Dominus opus
 habet, Imperium absolutum est. O sine Polonis Poloni! talem si
 nanciscimini Regem, quem ita rationari impia jubet ratio. Effu-
 giatis Gallos, qui in foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio
 scurræ, in exactionibus Harpyiæ. Nonne satis adhuc pertæsi estis
 morum Gallorum, in quibus, præter stolidam levitatem, frustra-
 nea juramenta, & superbam comitatem apparuit nihil? Quod af-
 fert, si placet aurum, capiatis, nihil servaturi, artem deludere arte
 licet. Cæteris omissis rationibus, quæ animos ab eligendo Gallo
 abalienare debet, unica hæc esto; Concatenatum scilicet Vobis
 E 2 fore

fore bellum : Imperator, limis oculis est intuiturus. Galli potentiam, moturusque tam Turcæ quàm Moschi arma contra Vos, ut metam, ad quam unice collimat Gallus, destruat. Omne malum quod animo tantum concipi potest, inducetur à Condæo. Basiliscus erit omnes in illum oculos conjicientes perempturus. Fontem, quærite, cum proximus ardet Ucalegon : Aliena Vos reddant cautos pericula : Quid boni sperandum, judicetis, obsecro, ab eo, in quo Ulyssis argutiæ, fallaciæ Sinonis, fides Polymnestoris & pietas Pygmalionis.

Hic niger est, hunc, Tu Polone, caveto.

Galliæ periculosis ex limitibus, Sarmatiæ calamitatis Lernam, & naufraga libertatis vada ominantibus, tendendum, ultra anfractuofos Alpium mæandros, explorandumque an Sequanâ faventior Polono Tiberis. Magnus, & vi & virtute, Hetruriæ Dux, non mendax felicitatis, infelici regno, inferendæ, præbet augurium. Illustri ex profapia eretus, non disparibus domui suæ, claret dotibus. Verè Catholicus, impii atheismi, improba, & ad stygias paludes ducentia, Italorum contra genium, detestatur dogmata. Generositatis, magnificentiæ, magnanimitatis, munificentæ, atque omnis Principem decorantis indolis, non minora, quàm prudentiæ, & fortitudinis dedit argumenta, præterito cum anno, peregrinas lustraret terras. Ut oculos, ita omnium in se traxit animos, & amorem. Polonico ingenio aptissimus, nisi Italus. Nec est ut libertatis timeatur jactura, Vires ejus propriæ non tantæ, ut in immunitates quicquam moliri possit. Alienis si uti velit, nullum reperiturus est vicinum, qui militem, proprio ex ærario, est lecturus, sine luculento commodo, & qui tantum stolidæ mentis est induturus, vicinum quò sibi potentem, & simul infallibilem creet hostem. Longinqua vero potentia non formidanda. Candidatorum nec sibi nec regno conciliaret odium, nihil subministraturus, quod quenquam offendere posset, materiæ. Divitiarum præsto myrmeciæ, quæ miseriæ ex ineluctabili barathro, eripiendis Polonis perquam commodæ. Ditionis si expandendæ alæ, vel ablata recuperanda, nervus rerum gerendarum sit in numero, necesse est. Imperii quæ firmamenta, quæ bases, æs. Pacem

sine

Neque Magnus Florentia Dux.

sine pace, & bella non bella, instructo sine ærario videbis: Non poteris lauro, sine auro. Matthæus Magnus Vice Comes apud Jovium ejus in vita: Plura se tectis confiliis, & ocella largitione quam vi, & cruentâ manu confecisse; & plura deniq; auro, quàm ferro feliciter expugnasse, ajebat. Philæpomenes Achæorum Dux, Quinto à Flaminio irrisus, manusque & crura, non ventrem habere dictus fuit, qui non minus equitatu, quàm peditatu pomposè instructus, nummis careret. Pecuniarum vim Remp. stabilire, Leo ajebat Imperator. Augusti more, ærarium est instituturus Florentinus, ad militem conducendum, alendumque, nec non ad Regnum cunctis requisitis & præsidiiis firmissimè stabilendum. Rectè Waremundus ab Erenberg.

Novell. 14

2. Sueton.

Aug. 49. 3

de foed. 2. a

66.

Vita hominum est pelagus, regina pecunia nauta:

Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Reliqua ad Florentini partes facientia, nec leniter tangere ausim, ne cum eo idem mihi eveniat, quod cum tulipa formosissima etiam, quæ leviter trita, nō tantum perdit coloris amœnitatem, sed & fœtoris fœditatem spirat. Prima mox in superficie Italicum hæret ingenium, à quo Polonicum abhorret prorsus, quod per cuniculos agere nescium est; Polonicæ frontis lineamenta, pectoris mox monstrant arcana. Italus simulandi dissimulandi que artifex, Polonorum, abs se abalienaret animos, diffidentia ut in Regem otiretur, intestinorum quæ bellorum inextinguibilem daret fomitem. Exercet Tiberij anima, omnium fere in Italarum corpora, absolutum dominium. Polonorum à genio discrepat Italus prorsus, nec ei fiet conformis, nisi Tiresiæ instar ex Viro in sceminam mutati, quâ gaudet, penitus exuatur naturâ: Vel si Circe ab inferis vocanda, verendum ut ex vulpe fiat simul vulpes & leo. Itala Bona, non bona, quæ Poloniæ in Reginam sumpta, insatiabili cum suâ mentâ, vitâ que longè Messalina, quæ lassata viris, necdum satiata recessit, superante, horrore adhuc est Polonis. Subdola, & ex impiis technis composita hæc natio, Hetruriæ jugum mox Polonorum collis adaptare anniteretur, si non vi, certè Tiberianâ calliditate & Sejani sceleribus. Biceps Poloniæ illucesceret Cometa, unus ex Italia, alter ex Gallia, uterque cum cauda omnimo-

dam regni excisionem præſagiēte. Gallica niſi ei uxor, obſta-
culum non uſque eo grande eſſet; aſt cum hæc natio ita exoſa,
exploſa, optimū quāquam daret vel Regem vel Reginam, ma-
neat necēſſe eſt. Hujus Principis poſt examen concors audie-
batur conclusio: Rei domeſticæ adminiſtrandæ, uxorive doman-
dæ qui ineptus, & regno gubernando, & hoſti proſtigando impar-
centendus eſt.

Tædii pertæſus, quod in inquirendo Sarmatiæ Monarcha,
devorare urſus fui, pedem in Germaniam movi, quæ orbis quon-
dam Dominæ Romæ, nec fortitudine, nec ulla ceſſit virtute, &
quæ hodie, quot Principes, tot Regias alat animos, ita ut operæ
nihil mihi fuerit inſumendum in reperiendo, Sarmatico throno,
digno. Primus luminum obtutui ſeſe offerebat *Fredericus Marchio*
Badenſis, Martis proles, ni ex Pallade, ſaltem ex Venere nata, Si-
mulachrum priſcæ virtutis, fidei, ac fortitudinis. Regni adlunt
firmamenta, inſtructus quippe filiis, qui nî majores, non inferiores
certè futuri Parente. Nullis non dotibus, quæ Regem facere de-
bent, cluit; dolendum ſolummodo quod quondam acerrimus
Poloniæ hoſtis fuerit, & quod animam dubiis Lutheri dogmatibus
paſcat. Non minus huic à latere ſtātem admirabar *Ludovicum*
Hæſſiæ Landgraviū, in quo Philippi Magnanimi anima ſuam cepit
ſedem: Ad omnibus numeris abſolutiſſimum, quicquid deſiderari
poſteſt, Principem, hic habet. Hujus ſi vis virtutes, perfectionis
perfectiſſimum tibi præfigureſ opus. Tremulo, & incompro ne pro-
phanare videar calamo, hujus virtutes, ſileo, devotāmente eas ad-
miraturus. Tota Europa unum ſi regnum, hic unus ei admini-
ſtrando ſufficeret. Sarmatiæ diademate digniſſimus, eique ap-
tiſſimus, niſi religionis veritatem in Lutheri ſectaretur ſchiſmate.
In admirandis Principum horum dotibus dum totus ſum, Princi-
pum prior nulla ratione cedens par videre licet. Vultuum divi-
nitas divinas indicat animas. Summā ſe felicitate beatam exiſti-
mare poſſet Polonia, ſi non tantum videre, ſed & intimius noſſe
poſſet, *Georgium Chriſtianum Hæſſiæ Landgraviū*, & *Ferdinandum Ma-*
ximilianum de Baden Marchionem. Horum Principum bigæ Regiam
ad Majæſtatem nihil deeſt, niſi regnum. Arminium redivivum &

Ariovistum cerno in illis. Prisca Germanorum redeunt secula, & Germania aliis præ terris fausta, quod sola verè legitimos alat Principes. Uterque Catholicorum rituum observator, & viva virtutum verarum imago uterque. Pristinum recuperaret splendorem Polonia, unum si horum diademate micantem admirari posset; ast uterque infaustum ob conjugium infelix, posterior tamen infelicior, Gallicâ quia punitus uxore. Bini hi dignissimi coronâ virtutes ob illustrissimas, quibus abundant, nisi propior esset *Iohannes Fridericus Dux Brunsvicensis*, ob matrimonium quod cum defunctæ Reginae Sororis contraxit filia. Prærogativæ multum Sarmaticum ad sceptrum haberet, si ambiret. Non sueta hæc natio reliquias Regii spernere sanguinis. Condæum postponit, quoniam Germanus, & Princeps non minus facultatum, quàm virtutum opibus dives. Verus Romanæ Ecclesiæ est alumnus, cum generositate familiaris, & cum magnifica modestia munificus. Gallica uxor, & quidem ex sanguine, cui tyrannica sanguinis effusio imputatur, electuris sanè aliquid moveret scrupuli, quam Magnus hic Princeps mox adimeret, dotibus scepro maximè idoneis & dignis, ita ut stipulatâ ei promittere possim manu, ambitionem non fore fructu cassam: Ei si essem à consiliis, non interruptam cantarem cantionem: Ambito habebis, quærito reperies! Ulterius gressuro obviant *Vilhelmus Christophorus*, & *Fridericus Hassiæ Landgraviæ*, regis dotati animabus, & verè Reges, à fortunæ benignitate si iis concessum regnum. Deplorandum quod non benignior iis faveat fors, ut & *Christiano Duci Megapolitano*, qui ad Coronam videtur natus, & qui nulli regis in dotibus secundus; Verum omnia deturpat Gallica uxor, cujus sub dura tyrannide, & triobolari petulantia ingemiscere cogitur bonus Princeps. Fertilior adhuc Principum seges à fortissima producitur Germania, quæ totius mundi, maximè legitimorum Principum unica salutanda mater & nutrix; ast confusio tibi obtruditur, cum tot Principum illustri examine, Polonia, ita ut quisnam arripiendus, anceps hæreas. Ne vero in bivio relinquaris, unum cum cæteris bilanci sum impositurus, ut facilius, sine errore, tibi fiat electio. Homines omnes sumus, sed unus tamen magis homo est, quàm alter. Ut natura vul-
 tuum

tuum introduxit diversitatem : ita & ingeniorum. Sidus sideri non conforme, Principi dissimilis Princeps. Exiguum accidens essentia variat identitatem, ut idem, nec sit, nec maneat idem. Recensitis Germaniæ Principibus, suus sit integer splendor, incorruptasque retineant stupendas dotes. Generositate eorum tretus, veniam mihi polliceor, si affectibus haud obnoxius, & dulcissimæ Patriæ amore raptus, unum iis, præponere non vereor, omnibus. En ! ornamentum hujus seculi, & ad labem jam jam pronæ Patriæ divinus tibi sistitur pegafus.

d Dux Neoburgicus.
 Philippus Wilhelmus, ad Rhenum Comes Palatinus, in quo, ceu in purissimo speculo legere licet, omnes, quot quot, perfectissimo à Rege requiri possunt, dotes. Limpidissima Romanæ Ecclesiæ ubera, divino cum fervore ita suxit, ut meliori jure quàm alii, æque Catholicissimus ac Christianissimus nuncupari possit. Atheismi maculâ mundus, nulla hæreseos suspicione, nedum labe fuit pollutus. Non fucatâ delectatur pietate, anima, sed Numen illud æternum sincero colit, ac veneratur ardore. Jovâ adjutore omnes auspiciatur actiones, nec quicquam conatur, quod Cœli gloriæ & conscientiaæ integritati contrarium esse posset. Scit sine Numine, sine lumine esse. Suppetiarum & frugis quantum ex matrimonio, inter futuri Regis verè Regiam filiam, & Sueciæ Regem, ineundo, sperandum, non difficulter colligi potest. Quam natura fundavit, stabiliretur amicitia. Una ex domo bina hæc brachia, tantos facerent lacertos, tantumque acquirerent robur, ut nullâ, nec infortunii, nec bellici insultus vi rumpi possent. Quid incrementi crederes Polonia, si Prussiæ Ducatus tibi nuberet? Brandenburgicus Elector, nostra qui metuit arma, nec securâ frui putat quiete sua in Prussia, cujus dominium absolutum non unanimiti Reip. consensu concessum, & contra quod generosa Borussia recalcitrat, omne aucupans, jugum, quod credit tyrannicum, excutiendi, momentum, facilem se exhiberet mutandâ ad Prussiam, terra cum Juliacensi & Clivenfi, Ducem ad Neoburgicum, spectante : Inter nos consilia agitari novi, quæ futurum Regem juramenti vinculo ligatum volunt, non tantum ad ablata recuperanda, sed & ad Poloniæ Prussiam intimandam Marte ; Ast hic crudelis est, sanguine mer-

nemerari amans, cui affatim in Sarmatia effuso, parcendum, mi-
 tioraque consilia ineunda. Sanguine quod emitur, carè emitur.
 Acquirendo aliena; amittitur. Non minor est virtus, quàm
 quæ erere, parta tueri. Sua servare optima acquisitio. Johannes
 Moscoviæ Dux ingenti coacto exercitu, Regna duo, Casan ad Vol-
 gam, & Astrachan mare ad Caspium, Imperio suo adjecit; Ve-
 rum foris victor, domi succubuit. Multis enim hominum milli-
 bus, bello, inopia, & labore extinctis, coloniisque ut occupata ser-
 varet, deductis, cum viribus destitutus, Stephano Polono resistere
 non posset, tot in Lithvania & Livonia maximi momenti loca ei
 cedere coactus fuit. Quid Lusitanæ Rex Johannes in Africa, &
 Sebastianus in Libyca lucrati fuerint expeditione, annales loquun-
 tur. Consilium Augusti, præprimis ab initio, futuro observan-
 dum Regi; non esse augendum per militares expeditiones impe-
 rium. Cuncta mortalium incerta. Ac sæpè levibus momentis
 dissolvi compagem, quæ aliquot seculorum fortunâ, disciplinâque
 coaluit. Sat amplum Poloniæ regnum, dummodo potens. Vasta
 Regnorum corpora plus magnitudinis plerunque quàm roboris
 habent. Armis si ditiones acquirere gestimus, cum Hannibale
 forte ingemiscendum erit: *Ita alienis appetivimus, ut de nostris dimi-*
caremus. Ablatis in recuperandis, Tiridatis alias execranda vox, *Tacit. L. 15.*
 locum habere potest: Id æquius, quod validius. Sed nimis nostro *Ann. C. 1.*
 à Principe aberravi, & circa facienda occupatus peccare videor,
 leges vel monita mortalium fere prudentissimo præscribere. Ape-
 rias ut oculos Polonia, hunc quo cernas Principem iterum iterum-
 que precor. Ophthalmiâ nisi laboras passionum, vel lucri lippitudine,
 visura es, Principem, omnem ad canonem, rectum & perfectum:
 Non tantum verè Catholicum; & omni hæreseos suspitione va-
 cuum: sed & religiosum, pium, multosque inter novæ sectæ ab-
 rupta palantes, verum ad tramitem traducentem, inter quos omni
 matronarum virtute longè illustrissima, ex Domo Hasso Darmsta-
 dina nata uxor, Princepsque Palatinus de Sultzbach, ut & non exi-
 gua ditionum suarum portio. Non se obtrudit sed offert eligenti-
 bus, amore potius erga Poloniam, quæ æque ac Patria ei chara,
 quàm majestatis cupidine. Didicit enim ambitionis sufflamina-
 re impetus, & nullam coronam spinis esse liberam. Belli artes ex-

actè licet calleat, & nulli nec hujus, nec prisca seculi cedat Imperatori; metus tamen nullus nobis imminet, scientiam militarem ab hoc collocaturo non in frangenda, sed in vindicandâ libertate. Nec propriâ, nedum vicinâ, ullâ ratione nobis formidabilis esse potest potentia. In nostras debachari immunitates, quanquam posset, non potest, assuetus Romano-Germanico in Imperio, suos more nostrum tractare Regum. Ut Imperator Germaniæ liberrimos gubernat Principes: ita Princeps hic suos est rectorus Polonos. Ei quod displicuit, nobis non est facturum, & hoc eo magis, quia juvenilis impetûs immunis, maturo judicio auspicanda est examinaturus. Non commodi parum hausura est Sarmatia, ex, nec senio, nec juventute, onusta ætate; Vegetus, vividus, validus, & sano succo plenus, longam annorum seriem Regno pollicetur. Et si lurida fata needum in nos furere cessarent, non adeo ferirent; præsto namque, à Patre non degener proles, vacuum adimpleretur sedem. O ter quaterque felix Polonia, cui Rex datus, tantâ prole beatus! Omnis virtutis amans noster Princeps, omnem est moturus lapidem, bono ut exemplo nobis præsit, & rectè faciendo, nos facere doceat, sciens tritum illud:

————— ——— ——— *totus componitur orbis*
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vitare gentis:

Justus novit, in corpore humano omnem, tum prosperam, tum adversam valetudinem à capite dependere, & nihil aliud, bono Reip. moderatori propositum esse, quam beatam Civium vitam, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hic severissimè in vitia est animadversurus, præmiisque virtutes remuneraturus. Doctus est, præter variarum linguarum notitiam; Effatum Vladislai Bohemiæ Regis primis ab incunabulis ei instillatum: *Non homo, nedum hominum Princeps videtur, doctrinâ qui destituitur.* Cui adstipulari videtur sat argutè, nostri seculi Martialis ille Britannicus:

Labitur indocto populus sub Principe, sicut
Præ capitis, titubant, ebrietate, pedes.

Thraconico non quidem ore, divitias quas Regno inferendas curabit, prædicat, ut Gallia; in quam concinnè quadrat, illud Plinii &

Polybii

Cis. L. 2. de
Rep.

En. Sylv. L.
3. Hist. Bo-
ham.
C. 2. 163.

Plin. 31. 2.
Pl. 51.

Polybii de Ægypto, quod si ventosa, atque insolens natio, vana, novandisque quàm gerendis rebus aptior; tantæ tamen sunt futuræ, ut dulce solamen in Regnum sit redundaturum. Inopi thesauro nihil ab initio si inferret, laudandâ tamen parsimoniâ, & economiæ administrandæ dexteritate, per brevi ærarium, ære ita plenum es habiturus, ut nullas non necessitates tollere valeret. Poloniæ non opus opes, sed parsimoniæ opus, & exercitium. Sat, imò plus justo locuples, erit Sarmatia, hujusmodi si Rege ditatus. Sub hocce Rege, Virtus & fortuna, ut ad Romanum Imperium constituendum videbantur contendisse: ita ad Sarmaticum constituendum contendere videbuntur. Fortunam præsto, quæ nihil aliud quàm Numinis favor, & fata ab alto in magnitudinem Poloniam propensissima. Nec minus Virtutem, quæ nostro in Principe hospitatur, in illo videre licet, robur animi invictum generosioris indolis constantia, quæ disciplinæ militaris, civilisque severitate, prudentiâque probè subacta, & occasionum haud segnis, vividum impetum artesque varias, cum incredibili sagacitate, industriâ, promptitudine, ad magna incepta affert. Si Panegyristes vetus de Trajano, quidni Ego de nostro asserere debeam Principe? Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non arma honestarunt; Reverentiam ille terrore, alius humanitate amore captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: Postremo adhuc nemo existit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Duci Neoburgico, futuro jam jam Regi nostro, quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit? Hunc O Sarmatia! electum eas, Principem, cujus tempora brevi cinget laurus, qui victoriis dies numerabit, patriam opibus, multos mortalium beneficiis, orbem terrarum gloria impleturus. Quod Apulejus Alexandro Magno, hoc sera post fata nostro acclamabitur Regi, epiphonema: Solus à Condito ævo, quantum hominum memoria extat, inexuperabili imperio orbis auctus, fortunâ suâ major fuit, successusque ejus amplissimos provocavit ut strenuus, & æquiparavit ut meritis, & superavit ut melior, solusque sine æmulo clarus.

Plin. in
Traj. C. 4. 5.

Ut Poloniæ incredibilem apportat felicitatem ad Rhenum
 Palatinus; ita non pudendus ei accrescit honor, commodumque
 hoc ex diademate. Non mancipiis, sed ingenuis, & generosis
 dominabitur mentibus. Prætextati in senatu Viri velut Dii ge-
 niique sunt venerandi, Romani Senatûs quæ quondam facies, hic
 videtur. Bruti libertatis vindices, Cicerones patriarum legum af-
 fertores, munera spernentes Fabricii, liberè loquentes Thraseæ &
 Labeones, nullius servilis sententiæ sponte autores, sed quoties ne-
 cessitas ingruit, sapienter moderantes Lucii Pisones, largâ, in Po-
 lonia reperiuntur messe. Habeant sibi sua servitia, alii Reges, quæ
 servilia, & deforme, redolent obsequiû, Poloniæ Rex non nisi gene-
 rosus, liberrimis, nõ dicâ Principibus stipatus. Manet tamê Regia in-
 violata Majestas, & in tanta libertate, summa exercendo jura, ma-
 ximâ fruitur authoritate, & in multis absolutissimo jussu. Absolu-
 tus redituum Regni est Dominus, qui multorum regnorum pro-
 ventus sordescere faciunt, Rex Stephanus gravissimi triennalis bel-
 li sustinuit onera, quod cum Magno Moschorum gessit Duce, alen-
 do exactissimè sedecim millia peditum Germanorum cum milli-
 bus Hungaris. Hic ultra sexcenta aureorum millia quotannis ex
 Mineris & sale suo intulit marsupio. Oeconomix si habetur ratio,
 & commerciorum, breve inter tempus nulli regno est cessura divi-
 tiis Polonia. Neoburgicus Dux, qui mira sagacitate media est rima-
 tus, suis in ditionibus, ex quibus reditus surgere possunt, momen-
 ta in Polonia non est neglecturus, nec vias ærarium ditescendi. Fer-
 tilissima auri minera est Sarmatia; sterilis duntaxat in hoc, ut erue-
 re nesciat. Parsimonix si exemplo præverit Rex Nobilitati, regnum
 videbitur plus locupletatum, quàm Gallicum, in quo Rex dives
 mendicos facit subditos, non tantum a sinos seu mancipia. Nec ce-
 dit Poloniæ Rex Majestate Galliarum Regi præposterè jure suo
 tenti, juramenti que sacra violanti. Poloniæ Rex Comitia instituit
 pro lubitu, locum, tempus denominat. Non tantum Archistrat-
 regos, sed & Archiepiscopum, Episcopos, Palatinos, Capitaneos,
 Castellanos, cunctosque & majorum & minorum gentium deno-
 minat & creat officarios, & ministros. Consiliarios quoniam fa-
 cit, consiliorum director meritò audit. Supremus, criminalibus in
 causis, nobilium est Judex. Magna moliri & præstare potest, bene-

faciendi, remunerandi, beneficiis que afficiendi habens in manibus facultates. Tantis gaudere potest privilegiis, quantis mortalium ullus. Stephanus, Sigismundus, Uladislaus, nec non defuncta, femineo suo, vastoque imperio, Regina, absolutissimo fere, nisi verè utebantur regimine. Et Rex tantas habet vires, tantum imperium, tantum que potest, quantum ipse, ingenio, fortitudine, prudentiâ, & dexteritate pollet. Nec Regiæ quicquam derogat dignitati electitium regnum; Nomine tenus est electitium, re ipsa hæreditarium. Regia soboles nunquam spreta, nec exclusa, aliam in familiam non translaturum regnum, unâ nisi vice, cum Uladislaum deponentes, cõfestim tamen eum revocantes, Venceslaum elegerint Bohemum. Filiarum quoque Regum nunquam non exacta habita ratio, ita ut Regiam stirpem clementior maneat fors in Polonia, quàm in Gallia, ubi Lex Salica à sceptro fæminas excludit. Hedevisis Regio ex stirpe superstes, ne rejiceretur, Jagelloni nupsit. Nec Stephanus purpuram fuisset nactus, nisi Annam in matrimonium collocasset. Sigismundo tertio non parum profuit, natum fuisse Catharinâ, Sigismundi Augusti, & Annæ Sorore. Præ cæteris prærogativæ multum merito jure habere debet Dux hic inclytissimus hoc ex fundamento, quod omni Germaniæ, imo totius Europæ familia spreta Polonicam fuerit dignatus ex ea sibi eligere uxorem. Proles quod ex ea nulla, Cœli culpa, non suâ factum, quod forte in Poloniæ favorem Patrem præferre voluerit filiis. Regiam ad Majestatem erectum Neoburgum non pudebit Poloniæ, nec Poloniam Neoburgi. Alter alteri est largiturus splendorem. Non pauci Poloniam parum excultam, barbaramque credunt, freti encomio, quo Ovidius Libro primo de Ponto, Elegia tertia ad Maximum, Sauromatas ornat.

Aut quid Sauromata faciant, quid lasiges acres,

Cultaq; Orestæ, Taurica terra Dea.

Quaq; alia gentes ubi frigore constitit Ister,

Dura, meant celeri, terga per amnis, equo.

Maxima pars hominum nec, Te pulcherrima, curas,

Roma, nec Ausonii militis arma timet.

Dant illis animos arcus, plenaq; pharetra,

Quamq; libet longis cursibus aptus equus.

Quodq̄ sitim didicere diu tolerare, famemq̄

Quodq̄ sequens nullas hostis habebit aquas.

Verùm penficulatiushæc verba trutinanti, omnia in Poloniæ immortalis laudem redundantia videbuntur. Non truces, sed fortes, improborum laborum patientes, Romanaque arma nauci facientes quilibet est deprehensurus: Et hodierno ævo, literatum & morum cultu, nulli nationi est secunda, ita ut barbarus sit, barbaram qui nuncupat, Sarmatiam.

Regnum Poloniæ cunctis necessariis instructum esset firmitatis, si trigâ hæc fulcrorum stabiliretur: Religionum diversarum tolerantia, peditatu Germanico, & commerciorum usu. Hæc sunt media salutis, & Civium beatæ vitæ introducendæ. Ex his commoda, hanc spectantia vitam, fluunt, quæ quatuor hisce comprehenduntur: Hostibus ab externis defensione, Pacis internæ conservatione, Reip. locupletatione, & libertatis innoxie usurpatione.

Religionis ardorem testantur utroque in Ducatu subditi, quos bono potius exemplo, quàm violentiâ, suam in fidei opinionem traxit; pia vitæ ratio, unica fidei testera, illicium fuit, quod populi non exigua pars, terra in Juliacensi & Clivensi, Principis sui in sententiam conscenderit. Unica ab eo observata methodus schismatis tollendi, quæ pia vita, seu boni exempli tenor; Hæc in Sarmatia plus est effecturus, quàm mille frameis, & tyrannicis proscriptionibus. Unioni introducendæ, hocce Principe aptior mortalium nullus, quippe qui juvenilem inter præcipitantiam, & senilem lentorem medius, declinatâ utrâque extremitate, eam examissim est observaturus. Ea est in ætate, ut præsentia ordinare, futura providere, & præterita recordari sciat. Hic ubi adest Princeps, nullum numen abesse potest. Virium robur ita ei integrum, ut regiminis moli non tantum par, sed & exercitui præesse sufficiat. Arcëtissimo conjugio prudentia togata, cum sagata, in Principe, connecti debet, ita ut non minus mente quàm dextra promptus reperiatur. Novit noster Princeps Justiniani mentem, qui Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam voluit: ut utrumque tempus & bellorum,
& pa-

& pacis, rectè possit gubernari. Nullam est laceffiturus bello, ita
 tamen ensen tenebit, ut omni momento præliaturus, Corinthios
 que æmulaturus, qui quiete fruentes, ita quidem sunt instructi, ut
 injuriam nemini faciant; sed vicissim ita comparati, ut laceffiti,
 passuri id neutiquam videantur. Et revera nulla non natio, Chau-
 corum populorum, inter Germanos, nobilissimorum sequi tene-
 tur, morem, qui quieti, secretique nulla provocabant bella; ob eam
 tamen causam superiores omnibus agebant, quia prompta omni-
 bus arma, ac, si res poscebat, exercitus virorum equorumque, &
 quiescentibus eadem fama. Cernere si gestitis Agamemnonem
 Poloni, aspiciate hunc Ducem, qui utrumque & rector bonus, & bo-
 nus induperator. Belli artes exactissimè caller, quas tam dubio,
 quam certo acquisivit Marte, & suetus est, plus inter armorum,
 quàm poculorum seu chororum versari strepitum. Patria, liber-
 tas, cives, præclara studia, forensis laus, & industria, in tutela ac præ-
 sidio bellicæ virtutis latent; quorum omnium defensio suis in-
 cumbere lacertis noster unicus scit Candidatus. Devorandæ si
 itinerum molestiæ, exanthlandæ si laborum difficultates, subeun-
 da si discriminum præsentium ardua; En! Principem ad omnia
 æque promptum acidoneum, qui nullis non dotibus præditus est,
 ad omnem incursum invictus, & intentus: non si paupertas, non si
 luctus, nō si dolor impetum faciat, pedē relaturus, contra illa iturus
 interritus & inter illa sapiens plenus erit gaudio, hilaris & placidus,
 etiam inconcussus cum Diis ex pari victurus. Probè novit incōpara-
 bilis Neoburgicus: Principem non eligi, ut sese molliter curer, sed
 ut per ipsum, qui eligerunt, bene beatèque vivant. Alter est Epa-
 minondas, qui vigilat, ut subditi dormire possint. Non bibet, ut
 reliqui sitiant, sed cum Alexandro M. speretur Oxum, in terram,
 est fusurus aquam. Habituri sunt Poloni Vespasianum, qui soli-
 tus suos adire, horrari, bonos laude, segnes exemplo incitare sæ-
 pius, quàm coercere, vitia magis amicorum quàm virtutes dissi-
 mulans. Augustum, Augustus noster se est exhibiturus Rex, qui
 militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine orii pelliciet.
 Nec hosce mirandos effectus in bello præsens est tantum edicturus,
 sed & absens, ablegando legatos, mittendo milites, arma, pecuniam,

Thucydid.
L 1.

Tacit Germ
35 1.

Xenoph. in
memor.

Socr.
Vit in Vi
Epam.

Tacit. H.
82. 2.

Tacit. A.
2 2.

commeatum, substituendo duces, centuriones, & revocando, ut de
 Justiniano refert Procopius. Alter ceu Antoninus in palatio resi-
 dens, bellorum auspicia est mandaturus, ac velut longæ navis gu-
 bernaculis præsidens, totius velificationis & cursus gloriam meslu-
 rus. Nec sagâ tantum, sed & togâ vestito absoluta ut sit prudentia
 necesse est; Ut bello ita & paci suæ sunt tempestates, homo in
 utroque gubernandus, quo nullum anima morosus, & omnibus
 animalibus facilius, quàm hominibus imperitatur. Hinc in apo-
 logetico Nazianzeni ut loquar ore: Revera mihi videtur ars ar-
 tium, & disciplina disciplinarum, Hominem regere, qui certe est
 inter animantes maximè & moribus varius, & voluntate diversus.
 Alia est prudètia in castris, alia in foro, & aliæ sunt leges militis, aliæ
 Civis, testis mihi est Livius: Excellentibus ingeniis citius defuisse
 artem, quàm civem regant, quàm quàm hostem superent. Magnus no-
 ster Palatinus, apud Stobæum Pythagoræ monitum seriò adimple-
 turus: Imperandi modum singulorum moribus est decenter ac-
 commodaturus, cum probis moderatè, cum supinis vehementius,
 cum audacibus acerbè, cum modestis denique & cautioribus, leni-
 ter acturus. Rigidus, legum Regni, est futurus observator, con-
 scientiæ sanctitatem non violaturus, quam vitâ habet chariorem.
 Leges & consuetudines, in quas jurabit, nunquam est perversurus,
 nec quicquam iis detractus, apprimè gnarus, quod justum Num-
 men in juramentorum violatores acerbissimè sæviat, & quod Vi-
 tium cum Virtute, quam unicè prensat, perquam malè copulen-
 tur. Moribus nostris non tantum est conformis, ut abundè præ-
 sens nobis testabatur; sed iis ita indutus, ut Polonus, Polonicè sen-
 tiens, Polonicè loquens, salutari mereatur, & vocari noster. Et si
 leve aliquod momentum, invidis à censoribus, reperiretur, sagaci
 prudentiâ, quàm mire pollet, confestim resarciatur; Et quia nulla
 salus bello, pacem nos poscimus omnes, omni est nisi furus ope, ut Au-
 gusti nobis det secula, & alter tanquam Janus Jani claudat tem-
 plum. Ingenium ejus pacatum, armorum sævitiam, non exerci-
 tium, est inhibiturus, quæ ita prompta nullis non momentis est de-
 sideraturus, ac si jam jam Scipioni cum Hannibale manus conse-
 rendæ essent. Nullas hostilitates cum Principum ullo habens,
 nil nisi

Sacconi
 Rhetor. in
 Panegy.

quom Con-
 stanti Casa-
 r. dixit c.

14.

Sen. de Clem.

17.

Liv. 2. 43.

12.

nil nisi pax speranda alma. Quarum ingentem catalogum recensere possem, cæteras sileo virtutes. Vis devotum? En maxime piium! Vis æquum? En justum! Vis sapientem? En prudentissimum! Vis mansuetum? En Clementissimum! Vis liberalem? En munificum! Vis benignum? En generosum! Desideras Virtuosum? Omnium virtutum speculum ecce!

Ast quid blæsus, balbutiensque de non dicendis, nec ullis laudum encomiis celebrandis ausim blaterare virtutibus, cum ipse Seneca ore Neroni salubria instillante præcepta, loquatur: In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum & contumelia, quæ sæpè tranquillissimis quoque pectoribus patientiam extorsit, non ipsa ostentandæ per terrores potentia dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum imò constrictum apud me ferrum est, summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non cui aliena desint, hominis nomine apud me gratosus est. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me custodio, tanquam legibus quas ex abdito & tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim. Hujusmodi sub Principe brevi efflorescent ipsi quoque cineres Patriæ; stabitque inconcussa Resp., par omnibus populis contra se junctis, singulis major. Accurate est provisurus, ut omnia concordia mutua firmamenta coalescant, augeaturve quotidie Poloniæ felicitas. Quod de Henrico Aucupe, hoc de nostro incomparando dicetur Principe, illum ad compescendas seculi turbas, ad confusam disciplinam vindicandam, & extollendam Poloniæ autoritatem, à Deo constitutum, magno animo, consilioque, & manu juxta promptum, cum felicitate armorum incomparabili. Si serio examine res pensetur, hic Princeps excolendæ Sarmatiæ, ordinandoque novo contextu ejus, fatalis existet author. Religio & justitia, & utriusque moderamine virtus militaris, ad fastigium excellentiæ conspicietur. Numerosa proles forsitan suffragiorum causari posset discordiam, quæ bona, in Reip. emolumentum mananda, ad se sustentandam traheret. Regia enim poscit dignitas, natos opimis instruere bonis, ne regius character vel vilescat vel labascet. Exactiones si necessitate jubente,

jubente, exigendæ, Principum bona immunia futura, unde Reip.
 gravius accrescit onus, & trita sternitur sordidam ad pauperiem in-
 colis via; Imo nervus rerum gerendarum sic rumpitur, mediaque
 ad Reip. & libertatis tutelam, alias in unum colligenda dispergun-
 tur, dissipanturque. Gyndus inclytissimum flumen, à Cyro ob e-
 quum in primis æstimatum, quem hauserat, in centum & sexaginta
 rivulos divisum, suum perdidit nomen, & magnitudinem, vado-
 que pervium factum, cum vix pontem antea tulisset: Sic Polonia
 varios in ducatus seu principatus divisa suas est perditura vires ta-
 mamque: Pinguissima quoque munera junioribus dabuntur Prin-
 cipibus, spretis benè meritis, quos merito jure talia manere debent
 solatia. Præmia quia denegantur, virtus exulet, ejusque studium
 necesse est. Multitudo quidem liberorum firmissima sunt Reip.
 firmamenta; ast in absoluto, non electio regimine, in quo plura-
 litas prolis formidabilis fit, injectura restinguendæ immunitatis su-
 spicionem, & metum. Porro recommendationes tot à Regibus,
 & Principibus missæ, missum ut hunc faciamus Principem plus sua-
 dent, quam verant. Gratiarum actio non nobis sed ipsis dabitur,
 & ipsi jactitabunt se nobis Regem tacitâ imposuisse vi, nec quic-
 quam sic à Rege merebimur, adscripturo non eligentibus, sed pro-
 moventibus gloriam. Obex hic qui primo intuitu aliquid ponderis
 in se habere videtur haud difficulter removeri potest à manife-
 stissime remonstrante, hunc sobolis numerum Polonia non oneri,
 sed decori & auxilio futurum. Germania, cui hi Principes, præ
 cæteris æstimio, iis omnibus, imo plures si adhuc essent, lautissima
 vivendi suppeditat media. Quatuor ad minimum ecclesiasticæ
 manent dignitates, quorum duos inter paucos forsitan annos, Ele-
 ctiores, Regum nulli, quicquam cedentes sumus visuri. Reliquis
 aditus ad Episcopales honores apertus. Binis sustentandis, bini
 sufficiunt quos possident Ducatus. Et si res seriâ bilance ponderanda,
 hæc liberorum pluralitas, materiam potius ad electionem,
 quam rejectionem dare debet. Citius enim moritur quam oritur
 homo. Modernum seculum una in domo multos modò vidit
 liberos, modò unum duntaxat ex omnibus superstitem, Au-
 striaca, Brunsvicensis, & Saxonica, hujus rei testis, domus.

Saved.
 symb. 90,

Gratu-
lari

lari sibi potius debet, Sarmatia, quod metus exors esse possit, ut so-
 lium suo iterum viduetur decore. Unum si invidarapit Libitina,
 alter promptâ successionem leve facit damnum, Numerosa proles
 nunquam nociva fuit Poloniæ, viginti quatuor licet, Boleslai Pudi-
 ci tempore, simul fuerint, qui ab initio quidem aliquid causaverunt
 mali, sed mox ingentem crearunt utilitatem, tristitia post fata, Boles-
 lai quinti, Lesconis Sexti, Hérici Probi, Premislaiq; Secundi. Actum
 fuisset de Sarmatia, nisi Cœli favor Casimiro quarto sex largitus fu-
 isset filios: Uladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, Casimirum,
 Johannem Albertum, Sigismundum, Fridericum, & Alexandrum.
 Dedecori esset culturæ modò Poloniæ sex vel septem alere non pos-
 se Principes, quæ quondam barbara tot sustentavit. Prolis defectus
 quid mali parturiverit, Casimiri Magni, Ludovici Hungari, Sigis-
 mundi Augusti, Stephani Battorei & modo nostri Augusti Casi-
 miri primi loquuntur exempla. Duodecim interregna, quæ lu-
 ctuosa ferè cum internecione passa Polonia, prolis fecit paucitas,
 Divinam legere licet benedictionem, quæ non tantum Regem,
 sed & sine exemplo numerosâ dotatum prole Patrem clementer
 nobis concedere non dedignatur. Non agnoscitur, quo nos Jova
 beare gestit, bonum, æternam nostram vult Remp., quam tot At-
 lantibus fulcire tentat. Nec scrupulus movendus tot Principum
 ob intercessionem, nullum interregnum caruit commendatori-
 bus externis. Henricum Andegavensem, Borboniorum Ducem,
 Summus Pontifex, cum Rege Franciæ, Suetiæ, & Sultano mirum
 commendavit in modum. Commendatio amicitiæ est argumen-
 tum & rararum virtutum, quæ animos ad benè velle rapit. Certa
 fit Polonia, naturam Principem, omnes virtutibus anteuntem,
 almamque pacem afferentem. Amicos habet omnes, cum nullo
 hostilitatem fovens, quæ nocumento regno esse posset. Non ob-
 truditur, sed precibus, & sanis promovetur rationibus. Nos non
 vult, si nos ipsum nolumus. Nos si volumus, & ipse vult.
 Libertatis vult integritatem, persuadere, non cogere amans, gnarus
 violentiam, nec diurnitatem, nec amorem habere comites. Quot
 amici intercedentes, tot fulcra regnum nostrum stabilientia.
 Fœdus pangere avent contra regno nostro insidiantes. Trucibus,

vix par est Polonia tot hostibus, quibus misera adhuc dum septa patria. Cum Sueco initum foedus, flagitioso est lupatum Moscho, & Galli favor frænum Turcæ. Brandenburgicus non leve daturus est momentum ad domandum perduellem, cum rebeli Cosaco, Tartarum.

Pudenda inita sunt à Polonis consilia, totoque ab orbe, nedum piis à Politicis ridenda, de relegandis diversis sacris, quæ præcipuum terræ populo replendæ, remedium. Salus quibus Reip. cordi, detestanda, non tantum toleranda allicere fatagunt numina. Veri Politici est, non expellere, sed attrahere, depopulatum præprimis in Regnum, populum. Certum est Principem vel Magistratum oportere serio, & ante omnia curare, vel saltem curare videri, divina; Nihil quippe injusti eo à Magistratu expectat, quem religiosum putat, populus; & quia ejus à partibus Dii stare creduntur, ab insidiis maximè non tantum tutus, sed & securus est. Sed vi, vel expulsionem diversas aras fatigantes, vestram ad opinionem quod trahere nitamini, peccatis nimis Poloni. Damnosum semper in conscientias fuisse imperium sciatis velim. Nullum hocce peccato gravius, & temerè molientes quicquam cum gygantibus Cæli arcem invadere contendunt, ut æque piè ac prudenter Olo-mucensi Antistiti respondit Maximilianus Secundus. Lutheranos & Calvinistas si vis Catholicos Polonia, precibus, & inculpatæ vitæ exemplis, non suppliciis, armis, persecutione, & exilio tuas in partes trahere insudes quæso! Discipulorum in capitibus apparuerunt linguæ igneæ, non patibula, non restes, non flagra, non minæ, & contumeliarum plaustra: Quo Spiritus docere voluit Sanctus, non vi, sed instructione, purioreque doctrina ad fidem esse in-escandos infideles. Bene Augustinus: Nullis bonis in Ecclesia Catholica hoc placet, si usque ad mortem in quenquam, licet hæreticum sæviatur; docendo magis, quàm jubendo, monendo quàm minando opus est. Prudentissimo, prudentissimi Thuani, monito, Henrico Secundo, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, candidè dato omnes Principes, Magistratumque omnem auscultare debere, æquum est: Quandoquidem miserorum, qui quotidie ob religionem plectuntur, suppliciis id tantum

haftenus effectū est, ut erimen potius detestabile esset, quā ¹⁶
 errores ipsi corrigerentur, æquum videri, ut potius veteris ec- ¹⁶
 clesix vestigiis insistatur, quæ non ferro & flammis, in religio- ¹⁶
 ne constituenda ac propaganda, sed puriori doctrina, & ho- ¹⁶
 nestis vitæ Antistitum exemplis rem confecit. Ast regeten-
 tem audio Poloniam, se non vi in diversum sentientes grassari,
 sed tantum illos velle expulsos. In hoc æque delinquitur. No-
 bile Regis Gothi apud Cassiodorum, percipito estatum: Cum ^{l. 10. d. 47.}
 divinitas diversas religiones esse patiatur, nos unam non aude- ^{Epist. 26.}
 mus imponere. David Deo gratiosissimus, atque secundum
 ejus Cor vivens & voluntatem, Philistæorum, Ammonitarum, ^{2. Sam. 17.}
 Moabitarum, Damascenorum, hujusve farinae cæterorum de-
 lubra non diruit, nec impedivit holocausta. Sua ad sacra, tri-
 buto contentus, eos non coegit. Spontaneo motu vero Israe-
 litarum, Jehovam amplexantes, delicatè recepit, tenerrimèque
 fovit. Eadem vestigia pressit Salomon, & Nabuchodonosor, ^{Dan. 5.}
 qui verum Israëlitarum Deum confiteri & profiteri orsus, edicto
 publicato, toto suo in Imperio, Israëlitarum Deum verum & u-
 nicum esse Deum, nullum tamen, religionis ad mutationem
 coegit, cui libet relicturus liberam credendi arbitrium, inhibi-
 turusque tantum blasphemias in Israëlitarum Deum. Cyrus ^{Dan. 6.}
 ut & Darius verum Deum agnoscentes, venerantes, ac adoran-
 tes, omnibus incolis diversos Deos colentibus, emigrationem
 non injunxere, sed potius quemlibet, sine ulla sævitia in con-
 scientias, superba in quiete defendere. Principis, & magistra-
 tus est, Ecclesix, doctrinâ & moribus insignes præficere Viros,
 proprioque exemplo, diversa Numina colenti, præluce popu-
 lo, cæterum Divinæ relicturi providentiæ & dispositioni, dicen-
 tes cum Israëlitarum Principe Josua: Nunc ergo timete Domi- ^{Jos. 24. 14.}
 num, & servite ei perfecto corde, atque verissimo: Et auferte ^{15.}
 Deos quibus servierunt Patres Vestri in Mesopotamia, & in Æ-
 gypto, ac servite Domino. Sin autem malum vobis videtur ut
 Domino serviatis, optio vobis datur: Eligite hodiè quod pla-
 ceat, cui potissimum servire debeatis, utrum Diis, quibus servie-
 runt Patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in

quorum terra habitatis : Ego autem & domus mea serviemus Domino. Magisne pii, prudentioresque esse, vel saltem videri vultis, sanctis, magnisque hisce Viris Poloni? Ratio status Vobis mandat, Evangelicos ut patiamini. Quid confidentiæ erga Vos est altura Prussia? Nonne à vobis deficiendi, diversamque Remp. stabiliendi, fœdera cum Suecis & Hollandis pacturis, datis ansam? præpostero, Episcoporum, & stolidorum Clericorum, salutem Reip. nescientium, fervori, non dandus locus, à Vobis, qui in Reip. navi, puppim & rostrum gubernatis. Meliorem potius ineant vitæ rationem Curios simulantes, & bachanaliam viventes! Bona exempla, verosque Christianos si viderent hæretici, mox albo Ecclesiæ Catholicæ darent nomina. Emendatis vitam, si velitis conversos: Vestra est culpa, iis quod horrore & abominationi Romana sit ecclesia, quæ scandalorum fertilissima, boni exempli, & pietatis prorsus infœcunda. Inutilia terræ pondera, ex inutili religiosorum turba potius eradicanda, quam miseri Evangelici eliminandi, qui eundem colunt Deum, idemque fidei habent symbolum. Petatis, obsecro, credendi formam primitiva ab ecclesia, quæ nullum scopum præter Christum habuit, nulli cultum, præterquam uni trinoque Deo impendit. In absoluto nobis ac facili est æternitas. Jesum suscitatum à mortuis per Deum crede, ac eundem Deum Deo natum confitere: & sublime ac inæstimabile Trinitatis mysterium comprehendere fide, cum humanâ ratione certis cancellis circumscriptâ nequeas. Qui Christum ore, opere, & pectore suspirat, Deique semper meditatur oracula, is est Christianus. Unicus hic articulus: Jesum esse Christum, ad salutem est necessarius: Per hoc enim non dico, solam fidem ad salutem necessariam esse, sed posco & justitiam, seu obedientiam legibus Dei debitam, hoc est rectè vivendi voluntatem. In fidei fundamentis Papistæ cum Lutheranis conveniunt, & discrepantia magis est in quæstionibus circa fidem, quæ affirmari vel negari possunt, salva spe salutis. Nec Catholicis nec Lutheranis satis habent causæ, cur sibi hæreseos notam invicem inu-

rant,

rant, cum centesimus quisque ex vulgo controversas illas quæ-
 stiones non intelligat, & tamen quia articulos fidei novit, & cre-
 dit, ita salvetur. Hæc namque est vita æterna, ut agnoscant Te *Ioh. 17.*
 solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. In essen-
 tialibus nullo modo, sed in accidentalibus tantum discrepat
 Protestans à Catholico: Uterque Christum agnoscit: Uter-
 que articulos fidei, & Symbolum Apostolorum approbat: U-
 terque Trinitatis cultum, sacramenta baptismi, & Cœnæ ample-
 ctitur. Quâ ergo veheris insaniâ Polonia, ut in omnibus ad sa-
 lutem pertinentibus convenientes expulsos Lutheranos, &
 Judæos prorsus discrepantes nutritos velis? Deo abominabiles
 esse nequeunt, in eum credentes, quatenus se in suo aperuit ver-
 bo. Damnari non possunt, quia credunt, & baptisati sunt. Ni-
 mis facilis est condemnandos ad homines, Ecclesia Romana.
 Ethnici si Sanctis à Patribus non condemnati, quâ fronte Chri-
 stianum es condemnaturus mi Romane? Nervosè Sanctus fa- *Hemel. 27.*
 tur Chrysostomus: Poterant enim homines tunc, etiam ipsum *in Math.*
 Christum non confessi, salvari. Non enim Christi, qui non-
 dum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut Idolorum cultu
 spreto, unum solum Deum conditorem omnium noscerent. Et
 mox addit: Quod autem qui ante Christum obierunt,
 ac ideo ipsum non agnoverunt, si ab Idolorum cultu res-
 cesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honestè vitam
 peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscerentur, audi
 quid dicat Paulus: Gloria autem, & honor, & pax, omni ope- *L. 2. C. 2. ad*
 ranti bonum, Judæo primum & Gentili. Huic dilucidè adsti- *Ep. ad Ro-*
 pulari videtur, non tantum Origenes, sed & Augustinus & Lu- *man.*
 dovicus Vives, qui ita fari non veretur: Potuerunt qui ex Gen-
 tibus naturam sequebantur ducem illam non pravis judiciis,
 opinionibusque inquinatam & corruptam, tam grati esse Deo,
 quam qui legem Mosaicam servaverunt. Quod enim hi con-
 secuti sunt per legem, illi essent consecuti: Et qui tales fuere si-
 ne lege, eodem quo Judæi pervenerunt, cum eodem contende-
 rent. Nec inter eos aliud discrimen fuit, quam est ceu quis via-

tor mandatam chartæ itineris sui rationem gerat, ac veluti formam; Alter memoriæ fidat ac iudicio. Idem etiam nostro tempore continget ei, qui cum nihil de Christo in remotissimis Oceani partibus natus audierit, duò illa maxima servaverit mandata, in quibus veritas ipsa legem totam Prophetasque constitutos affirmavit, de Deo & proximo diligendis. Huic sua conscientia est lex. Clarius multa Tostati loca pro Ethnicis militant, qui locum Apostoli: Omne quod non est ex fide, est peccatum, ita explicat; Quicquid est contra id, quod homo credit esse bonum, est peccatum. Cæses, precor dammare innocentes Polonia, differasque exilium, quo affliguntur miseri. Turbones non sunt, quietèque vivunt, regno non leve inferentes commodum. Vi privilegii quondam dati totiesque confirmati expelli nequeunt nisi perduellionis, & proditionis rei, ac convicti. Monstretis orbi, vos esse politicos Poloni! Emolumentum quod affert, expellit insanus. Florentem si vultis Remp., nulli non sectarum sexui, libertatem largiamini credendi. Germanorum si desideratis tranquillitatem, Batavorumque divitias, cunctis credendi libertatem detis, publiceque promulgato decreto vocetis, omnes seculi huius sectas. Et dato Protestantium opinionem maximè esse falsam, eosque Reip. parum decoros, tolerandi tamen sunt, insensibiliter utilitatem afferentes. Sunt sæpè corpore in humano fistulæ, quas, quamvis injucundas & graves, tantum abest, ut tolli velit medicus, ut etiam quotidiana cura alat & foveat, ne vita ipsa vocetur in discrimen: Nec ullam unquam tam fatuam civitatem fuisse arbitror, quæ cætera omnia horologia fregerit, quæ cum præcipuo, eodem non sonabant, momento. Politico Magistratui curandum est, ut de Rep. benè sentiant, præsentique statu contenti sint, qui in ea vivunt. Si qui sunt, qui aliud agunt, & quietem publicam turbant, aut turbare conantur, non ut minus sincerè de religione sentientes, sed ut seditiosi plectendi sunt, aut expellendi. Seditiosi nunquam fuère protestantes, sed cum ii florent, florebat &

Resp.

Rom 14.

Zevacor. in
Flor. C. 2.

Resp. Cum Somoscius cum innumeris Arrianus, Ficley, Radsevvily, Lescinii & infiniti alii Calviniani essent, tunc, inter Cætera regna, nostrum elevabat caput, cæterasque anteibat Resp. quantum lenta inter viburna cupressus. Nec vobis immaturis, austerisque Episcopis, vestro cum immundo Clero tanta est potestas, Evangelicos ut proscribere queatis. In negotio religionis, jus dominationis cedere debet juri divino, quod solum imperium in conscientias habet; itemque juri uniuscujusque privati, quod est ipsa conscientia. Spontaneus religionis est cultus, & coactionem alterius pati non vult. Et sane, si jure civili nemo potest cogi ad suam rem vendendam, multo minus cogi debet, ut suam conscientiam alteri transcribat religioni. In aliis quidem negotiis jus dominationis disponere potest, at in religionis negotio neutiquam. Credat quilibet quomodo velit. Parum refert qualem habeat religionem homo, dummodo talem, quâ immortalis inferi queat vitæ. Quanquam culpetur, verissimè tamen dixit Symmachus: *Æquum est, quicquid omnes colunt, unum putari.* Eadem spectamus astra: *Commune Cælum est: idem mundus involvit.* Quid interest, quâ quisque prudentia verum inquirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum.

Armorum studium, non ad gloriam, imperiique amplificationem; sed & ad Civilis vitæ tranquillitatem apprimè necessarium est Polonis. Sat sanguinis prata bibère. Plura acquirere nolumus, acquisita duntaxat servaturi. Tot hostibus undique cincta Polonia, parato sine exercitu almâ frui nequit pace. Equitum nullus est defectus, satque exercitatus per tot cruentissima bella. Centum millia ex Polonia, & quinquagies mille ex Lithvania, necessitate extrema imminente, conscribi posse certum est. Hunc numerum autem potius onerosum, quàm fructuosum censeo. Parva manus armis assueta melior, vasto corpore rudi: Non multitudo, & virtus indocta, sed ars, & exercitium præstant victoriam. Cæsar minori, sed usu magis firmato exercitu

instructus profligavit Pompejum. Sic Græci Persas. Sic
 pauci Hispani deleverunt immanes Atabalipæ in Peruvia co-
 pias. Sic pauci Sueci prælio in Varsaviensi, inconditum no-
 strum vicere exercitum. Pauci & boni sunt eligendi mili-
 tes. Exemplum priscis capiamus à Romanis, præcipuum
 decus ac stabilimentum regni militarem æstimaturi discipli-
 nam. In ipsa pace nulla domi quies, exercitia assidua erant,
 vel in Campo Martio, vel in ipsis alibi castris. Polonia nisi
 per arma, stare non potest. Romanorum si displicet modus,
 celebretur Turcarum, quorum robur in parabili, & benè di-
 sposita copia ordinarii, perpetuique militis, ut & in admira-
 bili, ipso in bello, consistit disciplina. Equitum, qui Spahæ,
 vel Timariotæ vocantur, centum & quadraginta plus minus,
 millia quovis tempore in expedito habent. Pedestrium ve-
 ro copiarum vires in Prætorianis sunt, qui Janizari dicun-
 tur. Abhorres forsitan trucibus ab hæc barbaris capere
 leges. Suecorum imitari ritum studeto, qui equestrem
 æque ac pedestrem militem semper habent exercitissi-
 mum. Equites legito quindecies mille nobilium ex censu,
 iisque præficias strenuum peritissimumve belli Ducem, qui
 iis in exercendis sperdius pernoxque esse tenetur. Palati-
 natus sex eorum denominentur pro hospitibus, in Polonia &
 tot in Lithvania, ne oneri sint subditis, & triginta palatinatus
 ex quibus accuratum legi debet stipendium. Pedites verò
 conscribantur Germani veterani, probè exercitati, robusti,
 & agiles. Stephani, Sigismundi & Vladislai ævo sæpissimæ
 Germanorum peditum numerus se extendebant ad duode-
 cim, imò quindecim millia. Ast decem millia tantum
 collecta volo, quibus hospitia dare debent urbes munitioni
 aptæ. Marcescit enim miles otio, si non perpetuo exer-
 tur labore. Eorum stipendia ex civibus & vectigalibus non
 difficulter colligi poterunt. Imò unica Prussia militi huic
 sustentando par esset, si Suecorum observaretur mos, quorum
 ingentem militum copiam Pomerania, Ducatu cum Bre-
 menti

mensi tot aluit annos. Militi vero Germano, Germanus
 præficiendus Dux. Militaris sine Duce turba, est sine spiri-
 tu corpus. Et ut remiges sine gubernatore: ita milites si-
 ne Imperatore nihil valent. Vitellianus exercitus, rectoris
 indigus, & consiliis vacuus à Vespasiano facile profligaba-
 tur. Pausanias Plistonactis filio percontanti, quo pacto Thra-
 ces debellari possent? respondit: Si quis vir optimus est,
 eum belli ducem elegerimus. Optimum autem tota in
 Germania esse Principem Georgium Christianum, Hassiæ
 Landgravium, omnes, quibus non præoccupata mens, me-
 cum sunt sensuri: Omnis ejus vita militia fuit. Literas ad
 usum solum didicit, reliqua omnis disciplina fuit, ut pulchrè
 pareret, ut labores perterret, ut in pugna vinceret. Prin-
 ceptus est qui teneris ab annis stipendia meruit; Cui invictus
 inter discrimina animus, industria in labore infatigabilis,
 celeritas in conficiendo negotio, qualis Heroum propria
 fertur, consilii pace belloque, domi forisque, non copia mo-
 do; sed felicitas. De Alexandro Curtii effatum non in-
 concinnè huic aptari potest Principi; Cui vis incredibilis
 animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo non
 inter Principes modo excellens, sed inter illos quoque, quo-
 rum ea sola virtus fuit. Clementia, mortis contemptus,
 consilium par magnitudini animi, & quantam vix potest ætas
 ejus capere, solertia; ingentia animi bona, indoles, quâ
 omnes Principes antecedit, in subeundis periculis constan-
 tia, in rebus moliendis efficiendisque velocitas. Latinæ,
 Germanicæ, Hispanicæ, Italicæ, ac Gallicæ linguæ gnarus,
 omnium se accommodare novit moribus. Nec tamen ulli
 ingenio, quàm Polonico aptior. In Polonia natum diceres,
 si diligenter examinas mores. Majestas vultus omnium in
 serapit oculos, & quilibet miratur, cum severitate humani-
 tatem, ita affabrè esse mixtam. Temperamentum quod
 aves in hocce es repertura Polonia. Fortè non sine omine,
 nomen Georgii Christiani impositum. Quod præstitit

Georgius, hoc hic exhibiturus est Christianis, quibus ex Elisabethæ Hungariæ quondam Reginae illustrissima profapia ingens promissum auxilium Ottomannicum contra Cerberum. Hac ex stirpe hic satus Princeps, unicusque excepto Hassiæ Cardinale, Catholicus, oraculi seu vaticinii veritatem adimplere potest. Alter ceu Germanicus, Militem alium spe, alium gloriâ, cunctos alloquio & cura sibi que & prælio firmaturus. Non erit Imperator ab alio imperandus, nec Dux ab alio ducendus, Vitellii instar, qui præcipuum rei malè gerendæ ostentum fuit, ignarus militiæ, improvidus consilii, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendoque bello modus alios rogitans. Sed omnes in Duce requirendas, nostro in redivivo Arminio, numerare possumus Virtutes! En! Labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. Martius tanquam alter Marius, suos est docturus milites: Hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hyemem & æstatem juxta patihumi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. Chiliarchos, subchiliarchos, Hecatontarchos, Pentecosiarchos, reliquosque minorum gentium tribunos, longâ in messe, suppeditat sua cum Lithvania Polonia. Germanos indigenatûs illustri beneficio gaudentes ibi miraberis, qui merito jure Germano-Poloni nuncupandi. Quibus in acie, ac signis collatis magna vis, non vero ad populandos finitimorum agros, tecta que uerenda, & capienda perora. Ad pugnam sunt magis instructi, quàm ad fugam. Non galeati lepores, sed Leones, nil nisi hostium exuvias insectaturi. Magnæ certè, nostra inter viscera, Germano-Polonorum reperiuntur familiæ; quæ, quem ex Germania, proavisque suis adduxerunt splendorem, Polonorum jubare maximè illustrem reddidère. Sunt Guldensternii, Denhofii, Butleri, Wolffij, Tisenhausij, Blumbergij, quorum undecim paucos inter annos, Patriæ, omnisque Poloniæ pro salute,

lute, immolatus sanguis. Sunt? Noldij, Sackij, Velkenfarnij, Diethofij, Maidelij, Schvartzhofij, Fietingshofij, Corvij, Sileo Semigallix nobiles, qui quasi Sarmatæ censendi. Cur vero Patriæ suadeam Germanos, me mover meus Tacitus, qui in ignominiam quoque nationis suæ scribere non erubuit: Nulli mortalium armis aut fide ante Germanos sunt. Idcirco Germanis satellitibus suam concedidit vitam Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Caracalla; Græci Imperatores Cæteros inter Germanos ivere electos, teste Saxone Grammatico. Et externi Reges suo in satellitio Germanos habere sunt gavisi, quemadmodum de Judæorum Rege Herode testatur Josephus. Quantum Germanorum, nullis non nationibus, profit natio, eos tantum later, qui claudorum futorum instar alienos non videte focos. Quandiu Germania in Polonia præliata, tandiu victrix visa.

L. 13. Ann.
C. 54.

L. 12, Hist.

L. 17. antiq.
Judaic. C. 4.

Vigeant denique Commercium, in quibus summum ad potentiam momentum. Arma etsi non ipsi tractent Mercatores, sufficiunt tamen stipendiis numerandis. Nec enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt, quæ ornamenta pacis sunt, & subsidia belli. Unde autem sine commerciis tributa? Unde sine tributis ærarium? Unde sine ærario militia? Unde sine milite pax? Commercium si introducuntur, confestim Saturnina exulabit moneta, & ferreo relegato seculo, florebit aureum. Natura ipsa commerciis instituentis favet in Polonia, quæ tot fluminibus, fluviisque uber. Indulgendum Civitatum privilegiis, in primis Prussiacatum, ex quibus, clementer si gubernantur, ingens non tantum emolumentum; sed & insigne manat decus. Gedanum nulli, totius Europæ emporio cedebat, Sigismundi, & Uladislai tempore, qui dicere non fuit veritus, viso honore, quo Consul à tot politis, & ferè nobilibus Civibus, mactabatur; Se, si non Poloniæ esset Rex, nullam, præter Consulis Gedanensis,

dignitatem, ambiturum. Multi, & quidem Senatores sunt in Polonia, nostram qui non cognitam habent Remp., Cum tamen ad consilium de Rep. dandum caput est, nosse Remp.: Faustissima erit prædicanda Polonia; cui non tantum tam gloriosus præfuturus est Rex, sed & qui pro Archi-Camerario, supremoque Conclavis ministro est habiturus, incomparandum illum Virum Baronem de Boineburg, modernum in Poloniam Legatum. Hic ex asse est impleturus, quæ Hippolitus à Collibus perfecto à Consiliario requirit: Perspectam ac cognitam habebit aulam; atque adeò, ut cognoscat ministrorum, & consiliariorum naturam, mores, omnem denique administrationem; quæ & quanta sit ditio, quale regnum, quæ provinciæ, civitates, oppida, & loca regno subjecta, quæ in regno opportunitates, quæ incommoda, quibus rebus delectentur Cives, quibus sese sustentent, in omnia etiam minutissima, quæ neglecta Reip. detrimento esse possunt, studium, curam & cogitationem, ac solertiam conferret. Hic æque pius, ac prudens Vir, in Civium numerum adoptandus, colendusque ut morbos ac medicamina simul nobis monstret, porrigatque. Quin alia moneta brevi futura, nullus dubito. Henrici Septimi Magnæ Britannæ Regis nobis ineundum consilium, qui Commercia unicum Regni judicavit firmamentum. Consilium hoc nemo excogitavit solertius, nemo disposuit providentius, quicquid ad statum regni, & abundantiam omnis subsidij facit. Viri, Viresque Poloniæ adsunt, absunt tantum divitiæ, quas dabant commercia; abest robur, quod ceu Belgio fœderato omnis generis, omnisque sectæ sunt daturi Mercatores. Si fœdera & societates foris quærendæ, pecunia conciliat. Si hostis invadendus, pecunia armis non decus modò, sed robur comparat; ipsisque armis fortius sæpè in animos pugnat. Ast unde nummi, nisi à Mercatoribus? Beata non videbitur Sarmatia, antequam diversis cum sacris Numen Cæli, Numen Martis Numenque Mercurij ferantur, stabiliantur,

tur, colantur. Horum neutrum erit nisi concordi exclametur cordicitus voce : Vivat Princeps Palatinus ! Vivat Philippus Wilhelmus ! Vivat Sarmatarum Rex, Patriæ Pater, ac Seculi decus Dux Neoburgicus !

FINIS.



... colantur. Hominum mentium esse ad concordiam
... cordibus voce: Vivat Princeps Palatinus & Vi
... Philippus Wilhelmus: Vivat Sarmatarum Rex, Pa
... Patri, ac Seculi bene Dux, Nobis
... gratia

F I N I S

